EURIPIDIS PHOENISSARUM

PARS EXTREMA INDE A. V. 1582 UTRUM GENUINA SIT NECNE QUAERITUR. ACCEDUNT DE ALIIS FABULAE LOCIS QUAESTIONES SELECTAE.

431

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS GEBAUER.

HALIS SAXONUM.
TYPIS EXPRESSIT HEYNEMANN.
MDCCCLXXXVIII.

Weckleinius nuperrime in editione Phoenissarum extremam fabulae partem inde a versu 1582 ab Euripide censuit esse abrogandam. Quod iudicium si verum sit, prorsus aliter diiudicandum nobis esse de huius tragoediae et argumento et compositione in aperto est. Quapropter operae pretium esse putavi causas et a Weckleinio et ab aliis, qui iam antea has illas postremae scenae partes interpolatori tribuerunt, allatas accuratius paulo examinare. Quibus refutatis quoad eius fieri poterit, ex ipsa fabulae argumenti ratione evincere conabor, in universum profecta sit ab ipso Euripide necesse esse scena postrema.

Altera huius commentationis parte tractabo alios fabulae locos adhuc non satis expeditos, ad illustrandos eos aliquid me allaturum esse arbitratus.

Ac quibus aliorum commentariis in hac dissertatione usus sim unoquoque loco commemorabo; quae vero omnino pertinent ad Phoenissarum interpolationem virorum doctorum commentationes eas componere supersedeo, cum praesertim iam alii satis accurate versati sint in afferendis eis atque recensendis.

Ceterum in fabulis Euripideis utor Kirchhoffii numeris codicumque notis.

Postquam Hartungius [1]), cui Kinkelius [2]) assentitur Phoenissarum versus inde a. v. 1747 usque ad fabulae finem ut hoc loco non genuinos eiecit partim Antigonae Euripideae partim Oedipodi eiusdem auctoris tragoediae eos tribuens, Pollius [3]) hanc sententiam protulit, fortasse non esse Euripidea, quaecunque sequerentur versus 1720—22.

Deinde Bakhuyzenius [4]) probare studuit, in postrema Phoenissarum scena duas contextas esse fabulas, quarum altera de Antigona Polynicem fratrem sepeliente ageret de eius exilio altera; unde nescio an profectus sit Muellerus [5]), qui omnes versus, quibus Antigona fratrem se esse sepulturam profitetur, uni tribuit interpolatori, qui condidisset ista aetate Byzantina. Denique Weckleinii [6]) sententia nuper prolata extrema fabulae scena tota inde a. v. 1582 prodiit a diasceuasta aliquo, qui Antigonae Sophocleae et Oedipodis Colonei argumenta addere volebat eis, quae in hac aguntur tragoedia.

Sane magnam vim habet argumentum a Bakhuyzenio, ut confirmaret iudicium suum, allatum una et Oedipodem prosequi et fratri iusta solvere non posse Antigonam; quae potissimum res et Pollio et Muellero nec non Weckleinio

---

1) Iphig. Aulid. (Erlangae 1837), pg. 13. — Euripid. Restitutus I, 252; 423. — Ed. Phoen. (1849) pg. 265 sqq.

2) Ed. Phoen. (Berol. 1871), appendix crit. pg. 109.

3) Rec. ed. Kinkel. in Fleckeisenii Annal. 105 (1872), pg. 507: „Es waltet ein mehr oder minder offenbarer Widerspruch zwischen 1728 u. 1688, zw. 1739 u. 1692, zw. 1745 u. 1710 . . . . mit vv. 1720—22 würden Oedipus und Antigone passend die Bühne verlassen."

4) De Parodia in comoediis Aristophanis (Trai. ad Rhen. 1877), pg. 208 sqq.

5) De Eur. Phoen. parte extrema. Diss. Jen. 1881.

6) Ed. Phoen. (Lips. 1881). Cf. annotationes ad vv. 1539; 1582, 1628, 1682, 1747, 1758.

ansam praebuit vel hos vel illos extremae fabulae partis locos vel denique totam scenam ab Euripide abrogandi.

Et ve vera in his maximam interpretandi difficul tatem inesse negari non potest neque fugit veterem interpretem. Cf. quae annotata sunt ad v. 1692: *οὐ τηρεῖ τὸ σύμφωνον . . . πῶς γὰρ θάψει ἡ Ἀντιγόνη τὸν Πολυνείκην αὐτὴ συμφεύγουσα τῷ πατρί;*

Haec autem sunt quae ad istas res dissociabiles pertinent Antigonae verba: *ἐγώ σφε θάψω, κἂν ἀπεννέπῃ πόλις.* (v. 1657), *συμφεύξομαι τῷδ' ἀθλιωτάτῳ πατρί . . . . καὶ ξυνθανοῦμαί γ'* (vv. 1679, 81), *ἴθ' εἰς φυγὰν τάλαιναν. ὄρεγε χέρα φίλαν* (v. 1710), *τάλαιν' ἐγὼ συγγόνου θ' ὑβρισμάτων . . . μέλεος ὤν, εἴ με καὶ θανεῖν, πάτερ, χρεών, σκότια γᾷ καλύψω* (v. 1743 . . . 45, 46).

Ac primum in illis eiusdem Antigonae ennutiatis vv. 1657, 79, 81, 1710 comparatis inter se offendi vix possit.

Antigona cum neque audacia neque precibus quidquam se proficere intellexerit, iam misso, ut videtur, fratris sepeliendi consilio, exilii patris participem se fore haud inepte pronuntiat. Hactenus satis concinne decurrit sententia. Sed hoc repugnat sanae rationi, quod Antigona, cum in eo est ut cum patre Athenas proficiscatur, Polynicem condituram se esse praedicit. Neque enim, quae cum patre vivere et mori constituerit, periculum capitis adire poterit fratris causa.

Quae cum ita sint, Muellerus istos versus 1743—46 eiciendos proposuit[1]), quippe qui una cum vv. 1657—60 — de quibus infra accuratius exponam — essent immixti fabulae Euripideae a grammatico Byzantino id agente, ut Polynicis soror, quae et in Euripidis Antigona fratrem humaret et apud Aeschylum sepulturam pararet etiam in Phoenissis hoc pronuntiaret consilium [2]).

Sed hoc Muelleri artificio quominus utamur, compluribus impedimur causis.

---

1) L. c. pg. 15 sqq. 2) L. c. pg. 23.

Pro poetae consilio ac ratione Antigona Oedipodem debet sequi in exilium. Quare totum inter Creontem et Antigonam diverbium (vv. 1643—1682) sic composuit, ut in hanc rem exiret, h. e. ut virgini daretur facultas patris sortis se participem fore profitendi. Simul vero tali modo assequitur poeta verisimillimi rerum progressus semper studiosus, ut decipiatur Creon. Novo enim isto Antigonae consilio cognito rex, qui statim post verba v. 1682: *ἴϑ', οὐ φονεύσεις παῖδ' ἐμόν, λίπε χϑόνα* decessit de scena, persuasum habebit, virginem in exilium profecturam cum patre iam non cogitare de fratre sepeliendo. Ac remota eius suspicione, quam certe perceperat ex Antigonae ennuntiatis v. 1656 sqq., quanto facilius credimus, fore ut contingat illi, quod se suscepturam esse praedicit v. 1743 sqq. . . . *ὅν . . σκότια*[1]) *γᾷ καλύψω.* Sed re vera numquam destitit Antigona priore suo consilio. Non fuit tam insipidus Euripides, ut altercationem istam inter Creontem et Antigonam temere institueret, ut tanta vi atque impetu dicentem faceret ista: *ἐγώ σφε ϑάψω κἂν ἀπεννέπῃ πόλις* virginem paulo post tam facile mutaturam sententiam suam. Neque vero voluit poeta insepultum remanere Polynicis corpus. Ne fingere quidem potuit Antigonam fratrem non sepelientem. Ne forte tamen audientes una cum Creonte decipiantur non perspecto vero rerum conexu, Antigona cum in eo est, ut cum patre pergat in exilium, rege iam non praesente denuo pronuntiare debet, nihilo minus sibi curae fore etiam Polynicem. Videmus igitur, quam non possimus carere versibus istis 1743—46, quos eici posse minime concedam, nisi ne altercationem quidem istam (vv. 1643—82) genuinam esse certis argumentis probatum erit.

Quamquam id quoque evincere studuerunt critici, qui in hac fabulae parte explananda versati sunt.

---

1) Sic legendum erit e correctura G. Hermanni (ed. Phoen. 1840).

Ac Bakhuyzenius quidem, ut hinc proficiscatur disputatio mea, offendit in moribus Antigonae, quam poeta finxerit versibus 1644—59 magnanimam et intrepidam, v. 1665 sqq. supplicem, Creontis iram deprecantem, v. 1743 sqq. terrore minime affectam sed eadem, qua antea, animi fortitudine exclamantem: ὅν, εἴ με καὶ θανεῖν, πάτερ, χρεών, σκότια γᾶ καλύψω.

Sed non modo convenit naturae humanae, verum etiam prudentis animi est, Antigonam fervore suo (ἐγώ σφε θάψω κ. τ. λ.) nihil aliud assecutam nisi hoc, ut Creon eam removeri iuberet (λάζυσθε τήνδε κεἰς δόμους κομίζετε v. 1660), iam modeste petere ab illo, ut fratris sepeliendi sibi detur venia. Neque pugnat cum his, quod absente rege non minore, quam antea, impetu animi fratrem se esse sepulturam pronuntiat. Eadem pro fratre nequiquam precata fortiter se opposuerat Creonti (cf. v. 1673 sqq.), Haemoni in matrimonio eam collocaturo.

Totus omnino diverbii inter Creontem et Antigonam progressus artem quandam compositionis prae se ferre mihi quidem videtur. Postquam enim Creon, quibus perductus causis tam graviter consuleret in Polynicem mortuum, virgini exposuit vv. 1646, 52, haec fratrem excusare studet verbis: τί πλημμελήσας, τὸ μέρος εἰ μετῆλθε γῆς (v. 1655); Profecto causa Polynicis iusta fuerat. Quod cum et refutare nequeat et concedere nolit Creon tota de hac re altercatione missa importune exclamat: ἄταφος ὅδ' ἁνήρ, ὡς μάθῃς, γενήσεται (v. 1656), quae ipsa verba, ut est consentaneum, statim eliciunt illam Antigonae responsionem, quo spectat prior diverbii pars: ἐγώ σφε θάψω, κἂν ἀπεννέπῃ πόλις, quibus deinceps artificiose adnectit poeta ea, quae sequuntur.

Facile autem refutatur Muelleri sententia damnantis vv. 1657—60, ne usquam Antigona Euripidea fines morum muliebrium videatur egredi.

Neque enim iustam movere possunt suspicionem verba ἀπεννέπῃ *πόλις* (v. 1657) — cf. v. 1651: πράσσεσθέ νιν; Antigonae Sophocleae v. 79: βίᾳ *πολιτῶν*, ubi idem

Creon edicti auctor fuit, non cives —, neque similitudo, quae intercedit inter v. 1659 et Antig. Soph. v. 72 sqq. Eliminaveris vero magno cum damno vv. 1657—60, cum v. 1661: *οὐ δῆτ᾽, ἐπεὶ τοῦδ᾽ οὐ μεθήσομαι νεκροῦ* aptissime respondeat versui 1660 *λάζυσθε τήνδε κεἰς δόμους κομίζετε*, ita ut nobis cavendum sit, ne cum v. 1656 *ἄταφος ὅδ᾽ ἀνήρ, ὡς μάθῃς, γενήσεται* eum componamus. Vel hac re mea quidem sententia evincitur, vv. intermedios esse genuinos.

Weckleinio[1]) haec opponam. Retinere non potest Creon consilium suum Antigonam Haemoni in matrimonium dandi virgine tam acriter repugnante atque etiam novum maritum se esse interfecturam pronuntiante. Neque temere cedentem fecit eundem Euripides Oedipodis filiae ista professae: *συμφεύξομαι τῷδ᾽ ἀθλιωτάτῳ πατρί . . . καὶ ξυνθανοῦμαί γ᾽* (vv. 1679, 81). Argumenti autem ratione poscitur, quod iam supra monui, ut Antigonae facultas detur comitandi patrem in exilium missum. Quod deinde idem Weckleinius annotavit ad v. 1682, universam hanc altercationem ab Euripidis arte alienam esse, id refutare non opus est, quia causae ab eo non afferuntur. Equidem postea demonstrabo, eam ipsam requiri fabulae compositione atque argumenti ratione iam pridem esse significatam. Ceterum hoc iam apparuerit, vana esse, quae Muellerus contra versuum 1657—60 sententiam, Bakhuyzenius contra mores Antigonae, sicut depinguntur illo diverbio, protulerunt.

Sed Bakhuyzenius, qui non de interpolatione, sed de retractatione fabulae cogitat, sententiam suam, et colloquium Creontis et Antigonae (usque ad v. 1660), et colloquium Antigonae et Oedipodis inde a v. 1743 usque ad. v. 1757 ex Euripidis Antigona huc migrasse, eo comprobari putat, quod et v. 1644 et v. 1743 (quem iam ve-

---

1) Cf., quae annotavit v. d. ad v. 1682: „De sententia dici debet, facile Creontem consilium mutare.“

teres interpretes conati sunt versui antecedenti quodammodo adaptare) iuncturam fabularum male consutarum aperte prae se ferant.

Vereor tamen, ne in his quoque a vero aberraverit vir doctus.

Namque quod pertinet ad versum 1644 l. mscr. sic traditum:

τί τόνδ' ὑβρίζεις πατέρ' ἀποστέλλων χθονός; quem omnes fere interpretes inde a Valckenario [1]) ut interpolatum eiecerunt, iam huic offensionem praebuit, quod Creon nullam omnino rationem habet huius Antigonae interrogationis in ea, quae sequitur disputatione, ita ut haec in sepeliendo tantum fratris cadavere versetur; nec non praebuit hoc, quod v 1644 sententia non congruit cum *ἀτὰρ* particula (v. praeced.), qua certe significatur non amplius de patre verba facturam esse Antigonam. — Siebelisius reponendum esse putavit: *εἰ τόνδ' ὑβρίζεις κ. τ. λ.*, quod recepit Hermannus. Sed haud satis concinne coniunguntur inter se: *εἰ . . ὑβρίζεις πατέρα . . , τί θεσμοποιεῖς ἐπὶ ταλαιπώρῳ νεκρῷ* neque recte dicitur vox *ὑβρίζειν* de Creonte Oedipodem patria expellente, cum praesertim diserte ac plane exposuerit Creon (v. 1592) se non *ὕβρει* agere, sed metuentem Oedipodis *ἀλάστορας*. — Atqui Bakhuyzenius censet, v. 1644, cum in eo dicatur de Oedipodis exilio, hoc Phoenissarum loco esse Euripideum, v. 1645 contra, qui cohaereat cum sequentibus, ad alteram (sc. Antigonam) pertinere fabulam. His respondendum erit idem, quod modo disputavi de voce *ὑβρίζειν*. Neque improbaverim, quod Geelius [2]) monuit, requiri ut Antigona exilii istius duritiem deploret, eiusdem vero necessitatem agnoscat nec culpam conferat in Creontem (memor scilicet eorum, quae hic pronuntiaverat v. 1590 sqq.).

Quid multa? Cum probabilis interpolationis causa

---

1) Eurip. Phoen. Lugduni Batav. 1802.
2) Ed. Phoen. Lugduni Batav. 1846.

afferri vix possit, pro corrupto tantum habendus erit versus noster. Atque proposuerim, facili correctura ut scribatur:

τί τόνδ' ὑβρίζεις πατρίας[1]) *στερῶν χθονός;*

cur tandem huncce fratrem nefarie privas terra patria? ita ut vox *τόνδε* iam non spectet ad Oedipodem sed ad Polynicem. Et *ἀτὰρ* et *ὑβρίζειν* voces (cf. v. 1663 *μὴ ἐφυβρίζεσθαι νεκρούς*, v. 1743 *συγγόνου θ' ὑβρισμάτων*) indicium praebere mihi videntur, Antigonam hoc versu non de patre in exilium misso sed de fratris mortui condicione verba fecisse. Atque aptam contineat sententiam versus sic restitutus, cf. moribundi Polynicis verba: *ὡς τοσόνδε γοῦν τύχω χθονὸς πατρῴας* (vv. 1449. 50) et illa Eteoclis: *Πολυνείκους νέκυν μήποτε ταφῆναι τῇδε Θηβαίᾳ χθονί* (vv. 775. 76) Creontis autem *Πολυνείκους νέκυν ἐκβάλετ' ἄθαπτον τῆσδ' ὅρων ἔξω χθονός* (vv. 1629. 30). Neque iam est in versu, in quo offendere possis; cf. Phoen. vv. 388, 493; Med. v. 651.

Ceterum non mutassem tradita versus verba interpunctione tantum posita post vocem *ὑβρίζεις*, ita ut per se pateret, *τόνδε* pertinere ad *νεκρὸν* cogitando supplendum e *νεκρῷ* v. 1645, nisi tali modo parum eleganter interposita essent ista: *πατέρ' ἀποστέλλων χθονός*; quae praeterea quid sibi vellent in eiusmodi sententiarum conexu vix intellegeres.

De versu autem:

τάλαιν' ἐγὼ συγγόνου θ' ὑβρισμάτων (1743)

hoc dicendum erit. Neque quod Musgravius[2]) praeeunte scholiasta coniecit, edidit autem Hermannus: *ἐγὼ σοῦ συγγόνου θ' ὑβρ.* neque quod Nauckius[3]), ut emendaret versum, proposuit *τάλαιν' ἐμῶν σ. θ. ὑβρ.* probari potest propter id, quod sequitur, *ὑβρισμάτων*. Videas, quae modo disserui ad v. 1644. Quam inepte vero de se ipsa diceret Anti-

---

1) De producta syllaba prima cf. Soph. Oed. Tyr. v. 1394: *ὦ Πόλυβε καὶ Κόρινθε καὶ τὰ πάτρια κ. τ. λ.*

2) Cf. „Eurip. tragoediae" ed. Ch. Dan. Beck. Lips. 1778—88.

3) „Euripideische Studien" I (1859), 103.

gona iniuria ac contumelia se esse affectam, nemo non videt. — Schoenius, ut tradita verba defendat, premit pronomen ἐγὼ, ita ut haec evadat verborum sententia: misera sum cum mei ipsius tum fratris ratione habita („ich bin unglücklich für meine person und besonders wegen der misshandlung des bruders").[1] Cohaererent haec cum praecedentibus sic fere, ut Antigonae modo se consolatae eo, quod ex pietate erga patrem capiet laudem, tamen iterum atque iterum in mentem veniat, quam infelix sors sibi instet. Uterque sensus iustum certe locum habet in animo virginis piae erga patrem exulaturum.[2] Sed Euripides tali modo vix coniunxerit particula τε c. nominativum ἐγὼ et genetivum ὑβρισμάτων. — Denique Schmidtius[3]) scribendum proposuit: συγγόνου 'φυβρισμάτων. Hac demum emendatione versum expeditum esse putaverim.

Ceterum nulla re adducor, ut cum Nauckio v. 1745 aequem versibus 1743, 44 eliminato pronomine με.

Jam pervenit disputatio mea ad versus 1747—1757 viris doctis iam pridem valde suspectos. Ac primus offendit in his versibus Hartungius[4]), qui alienos eos a nostra fabula suum habuisse locum existimavit in Antigonae Euripideae parodo, unde per librarios huc illati essent. Quod iudicium secuti sunt deinceps Kinkelius,[4]) Pollius[4]), Bakhuyzenius[4]), Muellerus[4]) (qui tamen ex parte tantum assentitur), alii. Unus Schoenius transpositis istis versibus post v. 1739: ἀπερθένευτ' ἀλωμένα locum expeditum esse putat.

---

1) Philologus X (1855) pg. 408.

2) Qua eadem de causa concedere non possum Pollio (cf. l. c. supra pg. 2.), Antigonae verba: ἀλλὰ γενναία (sc. φυγή) v. 1692 non convenire cum his eiusdem: ἀπαρθένευτ' ἀλωμένα v. 1739.

3) Krit. Studien zu den griech. Dramatikern. Bd. II, s. 434. (Berlin 1886).

4) LL. cc. (cf. pg. 2.)

Profecto haud exiguae sunt quas iam afferam difficultates loci, qui sic scriptus exstat in codicibus:

OI. πρὸς ἥλικας φάνηθι σάς. 1747
AN. ἅλις ὀδυρμάτων ἐμῶν.
OI. σὺ δ' ἀμφὶ βωμίους λιτάς.
AN. κόρον ἔχουσ' ἐμῶν κακῶν.
OI. ἴθ' ἀλλὰ Βρόμιος ἵνα τε ση-
κὸς ἄβατος ὄρεσι μαινάδων.
AN. Καδμείαν ᾧ
νεβρίδα στολιδωσαμένα ποτ' ἐγὼ
Σεμέλας θίασον
ἱερὸν ὄρεσιν ἀνεχόρευσα,
χάριν ἀχάριστον[1]) εἰς θεοὺς διδοῖσα;

Ac primum prorsus non cohaeret Oedipodis adhortatio: *πρὸς ἥλικας φάνηθι σάς* cum iis, quae antea pronuntiavit Antigona de fratre sepeliendo (vv. 1743—46). Deinde pugnat cum sana ratione, quod Oedipus filiam his monet, ut redeat ad aequales, postquam sociam exilii eam accepit verbis *ἀλλ' εἶα τυφλῷ τῷδ' ὑπηρέτει πατρί, ἐπεὶ προθυμεῖ τῆσδε κοινοῦσθαι φυγῆς* (vv. 1708, 09). Neque idem profecturus cum Antigona (cf. vv. 1710, 14) apte eam adhortatur, ut deorum aras adeat (vv. 1749, 51, 52); Semelae vero bidental et Bacchi ara in Cithaerone ponuntur hoc loco, quem una cum patre virgo transcendet. Denique ne sequentibus quidem tetrametris trochaicis adaptata sunt extrema Antigonae verba, sive sententiam sive formam metricam respicis; neque ipse locus bene concluditur interrogatione ista: *Καδμείαν ᾧ—εἰς θεοὺς διδοῦσα;*

Hartungius, qui totum fabulae exitum inde a. v. 1710 summo, ut facere solet, arbitrio tractavit, etiam in his versibus explicandis atque eiciendis se praebuit audacissimum. Namque haec potissimum obstant eius sententiae. Ex iis, quae a grammaticis ad v. 1747 annotata sunt, apparet, iam Didymum (qui floruit Augusti aetate) hos versus

1) Leg. e correctura Elmsleii ad Jph. Taur. 566: *ἀχάριτον*.

eodem, quo nostris l. mscr. traduntur, Phoenissarum loco scriptos invenisse. Quamquam hoc non multum valet, cum iam ante grammaticorum aetatem fuerint, qui ex alia in aliam talia inferrent tragoediam, velut histriones; cf. infra pg. 18. Sed fac cum Hartungio, esse eam, qua continebatur Antigonae Euripideae parodos, paginam falso huc illatam, nonne valde mirandum est, ne unum quidem ex iis, quae certe adscripta erant, interpretamentis una cum textu translatum exstare? Optime enim congruunt veterum scholia cum ea, quae est in Phoenissis, rerum condicione. Ne illud quidem, quod affert Hartungius, „ὁ δὲ χορὸς ἀσυμπαθής“ additum versui 1752 [1]) (cum Oedipus et Antigona his loquantur) ad Antigonae versum adscriptum esse potest, quoniam quae statim sequuntur verba: παρθένον οὕτως ἀτυχῶς φεύγουσαν aperte spectant ad nostram fabulam; in hac enim abitura est in exilium Antigona, quam in illa exilio redeuntem ipse facit Hartungius. Denique minime invitatur his versibus virgo ad chorearum laetitiaeque societatem. Immo vero ut precatum eat (σὺ δ' ἀμφὶ βωμίους λιτάς v. 1749) deos imprimis Bacchum admonetur Antigona, quos tamen pro pietate sua adhuc non propitios habuisse se pronuntiat his: χάριν ἀχάριτον εἰς θεοὺς διδοῦσα.

Quibus omnibus apparet, futilem esse commenticiamque Hartungii sententiam.

Maiore veri specie Muellerus [2]) de hoc loco disseruit. Qui cum vv. 1751—57 tantum eiciat ut ineptos post Antigonae verba: κόρον ἔχουσ' ἐμῶν κακῶν retinet vv. 1747—50 iam Didymi temporibus hič traditos, quibus istos ex Euripidis Antigona sumptos propter sententiae similitudinem quandam facile adici potuisse arbitratur. Sed, ut alia omittam, vv. 1747—51 etiam minus apte collocantur post prius Antigonae enuntiatum: φεῦ τὸ χρήσιμον φρενῶν — εὐκλεᾶ με θήσει (vv. 1740—1742) — Muellerus enim, ut

---

1) Cf. Dindorf. Scholia in Phoen. pg. 405, 17—20.

2) L. c. pg. 20, 21.

supra exposui, damnat aliis de causis etiam vv. 1743—46. — quibus verbis modo se consolata est de sorte sua (*ἀπαρθένευτ' ἀλωμένα* v. 1739).

Schoenius autem transpositis vv. 1747—57 post *ἀπαρθένευτ' ἀλωμένα* — quae emendandi ratio haud displicet Weckleinio — separavit, quae inter se cohaerere in aperto est. Nempe vv. *φεῦ τὸ χρήσιμον φρενῶν κ. τ. λ.* (1740—43) respondent vv. *ποθεινὰ δάκρυα* e. q. s. (v. 1737 sqq.) sic fere, ut supra Oedipodis verbis: *αἰσχρὰ φυγὴ θυγατρὶ σὺν τυφλῷ πατρί* (v. 1691) haec Antigonae opponuntur: *οὐ σωφρονούσῃ γ', ἀλλὰ γενναίᾳ, πάτερ* (v. 1692). Adde, quod ceterae manent offensiones, quamquam primo obtutu patris preces: *πρὸς ἥλικας φάνηθι σάς* post illa filiae lamenta: *ποθεινὰ δάκρυα π. φ. π. λ. ἀπ.* in loco positae esse videntur contigitque viro docto ut turbati in libris versuum ordinis probabilem causam excogitaret.[1])

Demonstrasse mihi videor, frustra adhuc versatos esse emendatores in loco nostro expediendo.

Quid igitur istis versibus fiet? Neque enim contra linguae leges peccatur in his, ne inest quidem, quod ab Euripidis dicendi usu abhorreat. Quam praeterea talia adiciendi ansam praebere potuit interpolatori Antigona de fratre sepeliendo modo locuta? Quem tandem fingemus tam propriae atque singularis (cf. praecipue vv. 1751 sqq.) in toto hoc rerum conexu sententiae auctorem? Nimirum trita plerumque sunt, non altius repetita quae interpolari solent.

Equidem crediderim, facillima correctura omne in integrum posse restitui. Atque c h o r o t r i b u e r i m, q u a e i n l i b r i s m s c r. s u n t O e d i p o d i s, ita ut finito inter Oedipodem et Antigonam, qui soli in scena relicti sunt, diverbio iam chorus virginem cum patre de scena decedentem appellet, cuius adhortationibus nonnulla refert Antigona.

---

1) Cf. l c.. pg. 407, 409.

Ac primum commendatur haec emendatio nostra ipsis veterum interpretum commentationibus. Sunt enim in optimis codd. haec annotata ad v. 1752: *ὁ δὲ χορὸς ἀσυμπαθής, παρθένον οὕτως ἀτυχῶς φεύγουσαν μὴ οἰκτιζόμενος.* Qua in re nullius momenti est, quod deest vox *χορὸς* in cod. Marciano.[1]) Nam neque *ἀσυμπαθὴς* neque *μὴ οἰκτιζόμενος* dici potuit a scholiasta de Oedipode, qui aperte deploraverat filiae sortem verbis *σύ μοι ποδαγὸς ἀθλία*[2]) *γενοῦ* (v. 1715). De choro igitur verba facit scholiasta, cui et v. 1752 et qui praecedunt vv. 1747, 1749, 51 reperiebat distributos. Quod idem confirmatur alio interpretamento adscripto in optimis codd. ad Antigonae verba 1753—57: *πῶς οὖν με κελεύεις καὶ νῦν αὐτῷ χορεῦσαι τῷ ἅπαξ καταφρονήσαντί μου, ἧς* (?) *χάριν καὶ ἀμοιβὴν παρὰ τῶν θεῶν οὐκ ἔσχον, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ Οἰδίποδος τοιαῦτα πέπονθα.*[3]) Fingit igitur ipsam Antigonam haec pronuntiantem vetus interpres, quae tamen sic respondere non potest Oedipodi ipsi.[4]) Sed prorsus recte se habet illud *ἐπὶ τοῦ Οἰδίποδος*, si cum choro colloquitur Antigona.

Quae cum ita sint, dubium vix sit, quin quicunque huius loci versus in nostris libris mscr. Oedipodis sunt, chori fuerint eo, quo scholia ista composita sunt tempore.

Sic vero, ut tum vulgatus erat, prodiisse locum a poeta non dubito contendere. Recepta enim hac partium distributione cum omnia remota sunt in quibus iure offendamus tum optimus efficitur sensus.

---

1) Cf. Dindorf. l. c. pg. 405, 17—20.

2) Sic enim legendum est, non *ἀθλίῳ* vel *ἀθλίου*, ratione habita eorum quae sequuntur: *γενόμεθα γενόμεθ' ἄθλιοί γε δῆτα Θηβαιᾶν μάλιστα παρθένων* (vv. 1716, 17).

3) Cf. Dindorf. l. c. pg. 406, 7—9. — *ἧς χάριν* fortasse typis mendose expressum pro *ἣ χάριν*.

4) Manuelus Moschopulus, cuius commentario sec. XIV. (Gr. apud Dindorf.) iam nostrorum codd. scriptura subest, cum offenderet in istis *ἐπὶ τοῦ Οἰδίποδος*, sic emendare studuit vetus interpretamentum: *οὐκ ἔσχον, ἐπεὶ τοιαῦτα πέπονθα.*

Atque cum per se non ineptum esse videatur, chorum, quem non sine animi commotione cum priori colloquio tum Oedipodis et Antigonae lamentis adfuisse consentaneum est, iam proferre aliquid ad rerum condicionem accomodati, nonne aptissime, cum chorus sit virginum, ad Antigonam conversus cum patre urbem deserentem hortatur eam, ut valedicat aequalibus (ἵνα συντάξηται αὐταῖς schol.)? Qua in re certe nullo opus est artiore cum antecedentibus verborum conexu, qui poscitur, si continuatur oratio inter Oedipodem et Antigonam. Satis est, in universum adaptata esse iis quae in scena aguntur chori verba. Nonne autem convenit, eundem verba facere de aris patriorum deorum postremum adeundis? Neque improbabinus, quod monet Antigonam, ut saltem (v. 1750 ἴθ' ἀλλά = ἀλλά γε, cf. v. 1667) a Baccho, praecipuo urbis praeside auxilium ac salutem petat, quod faciendi summa facultas virgini datur. Namque in Cithaerone, qui transcendendus erit Atticam petentibus iis colitur deus una cum Semela matre. — Nec tamen movetur Antigona: Num auxilium ferent miserae dii, qui tam insignem calamitatem ingruere siverint in virginem sancte eos semper veneratam (χάριν ἀχάριτον εἰς θεοὺς διδοῦσα)?

Ad v. 1752 annotavit scholiasta[1]: ἐπὶ γοῦν τὸν Βρόμιον, φησίν, ἴθι. ἄδηλον δὲ πρὸς τί ποτε φησὶν αὐτὴν τοὺς θεοὺς ἀξιοῦν καὶ μάλιστα τὸν Διόνυσον. Equidem putaverim, quatenus in re tam difficili probabile aliquid enucleari potest, haec de Baccho colendo in Phoenissarum exitu proferri a poeta ratione habita eorum, quae ipse in alia fabula sc. Antigona composuerat. Similiter ad Antigonae Sophocleae argumentum spectant Oedipodis Colonei[2]) vv. 1769 sqq. (cf. quae annotata sunt in ed. Nauckiana). Nec non consentaneum est hoc in tragoediis eiusdem fabularum

---

1) L. c. pg. 405, 17—20.

2) Afferrem praeterea eiusdem fabulae vv. 1405—13, quibus Polynices, ut mortuo sibi iusta solvant, sorores precatur, nisi magnam interpolationis suspicionem mihi moverent.

complexus vinculo coniunctis. Quid? quod Euripides Electrae versibus 1278—83 Helenae suae argumenti rationem duobos fere annis ante significavit audientibus.

Atque de Antigonae Euripideae argumento et rerum progressu conferenda sunt, quae Weckleinius[1]) eruit ex huius fabulae fragmentis. De tempore, quo composita sit Antigona, diiudicari quidem, quod sciam, vix possit; sed veri non sit dissimile, Euripidem, Antigona Sophoclea, quae acta iam erat circiter annum 440, adductum non nimis multo post tractavisse eandem materiam; ita ut certe ante Phoenissas tragoediam, quippe qua docta paucos omnino annos Athenis versaretur poeta, et scriptam et in scenam productam fuisse istam fabulam nonnulla veri specie suspicari possimus. Qua sententia admissa in aperto est, eos qui audiebant hoc Phoenissarum loco bene recordatos esse, quomodo in illa tragoedia Bacchus vindex exstitisset, sic scilicet, ut servata Antigona capitis iam damnata atque Haemoni suo in matrimonio collocata bene evenirent omnia. — Jam vero quam efficaciter Antigona nostra pronuntiat ista: *χάριν ἀχάριτον εἰς θεοὺς διδοῦσα*! Neque sic deesset tragoediae, in qua tantae cumulantur miseriae, quod moneret audientes, ne Antigonam quidem,[2]) etiamsi iniquissimae fortunae se committere videtur, semper fore infelicem.

Nisi vero longe abhorrent a vero, quae modo disputavi, haud dubitaverim suspicari, **post Antigonae enuntiatum vv. 1753—57 excidisse nonnulla**, quibus chorus acerba illius atque impia verba reprehendens eam doceret, fieri posse, ut necopinato in posterum praemia ferret a diis, qui pio usque eos coluisset animo. **Atque his finitam esse fabulam Euripideam existimem.** Nonne similem habent exitum aliae poetae tragoediae, Alc., Andr., Bacch., Hel., Med.: *πολλῶν ταμίας Ζεὺς ἐν Ὀλύμπῳ,*[3]) *πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί* . . . ?

---

1) Sitzungsber. d. bair. Akad. d. Wiss. 1878. s. 190 ff.

2) Quod pertinet ad Oedipodem cf. vv. 1703—07.

3) Sic scr. exstat in Medea, in reliquis fabulis: *πολλαὶ μορφαὶ τῶν δαιμονίων*.

Neque enim genuina esse possunt, quae post v. 1757 ab Oedipode pronuntiantur:

ὦ πάτρας κλεινῆς πολῖται, λεύσσετ', Οἰδίπους ὅδε,
ὃς τὰ κλείν' αἰνίγματ' ἔγνω καὶ μέγιστος ἦν ἀνήρ,
ὃς μόνος Σφιγγὸς κατέσχον τῆς μιαιφόνου κράτη,
νῦν ἄτιμος αὐτὸς οἰκτρὸς ἐξελαύνομαι χθονός.
ἀλλὰ γὰρ τί ταῦτα θρηνῶ καὶ μάτην ὀδύρομαι;
τὰς γὰρ ἐκ θεῶν ἀνάγκας θνητὸν ὄντα δεῖ φέρειν.

Ac prorsus consentio cum iis, qui hos tetrametros ad exemplar versuum Sophocleorum, qui inveniuntur in exitu Oedipodis Regis, ab interpolatore compositos esse existimant [1]). Nauckius quidem putat (l. c.), Euripidem de industria imitatum esse initio enuntiati locum istum Sophocleum, neque negaverim, hic illic exstare in Graecorum tragoediis hunc in modum recepta vel sic mutata, ut videatur alius alium voluissse superare. Sed versus nostri tantam prae se ferunt imitatoris sive socordiam sive stultitiam, ut ab Euripide prodiisse nullo modo queant.

Atque alii [2]) exposuerunt, quam moleste repetiti essent ad verbum fere vv. 1758, 1759 ex Oed. Reg. vv. 1525, 26; quod idem aliquatenus dici potest de v. 1761 cum nostrae fabulae v. 627, de vv. 1762, 63 cum v. 383 comparatis; alii [3]) iure suo offenderunt in personis verborum *ἔγνω*, *κατέσχον* (vv. 1759, 60) mutatis; quam non conveniret totius enuntiati sententia moribus Oedipodis etiam in infortunio superbi atque invicti (cf. v. 1622 sqq.), monuerunt alii [4]); ne hoc quidem fugit criticos [5]), paulo ante (v. 1728 sqq. [6])) similiter locutum esse eundem Oedipodem.

1) Unus Ritterus (cf. Philol. XVII, 426) versus nostros pro germanis, Oedip. Reg. exitum pro spurio habet.

2) Valckenarius ad. h. l.; Hartungius ed. Phoen. pg. 267; idem in „Eurip. Restit.“ I, 252 locum ex Oedipode Euripideo huc illatum esse contendit.

3) Quare Porsonus, Hermannus, Geelius, Nauckius eiciunt v. 1759.

4) Altenburg: De interpolatione apud Euripidem. Diss. Hal. 1865. pg. 13.

5) Cf. Hartung. l. c., pg. 266; Schoenium, Philolog. X, 405.

6) Quos vv. sine idonea causa abiudicat ab Euripide Muellerus, l. c. pg. 12.

Omnibus his addiderim, quae interpolatoris Sophoclem inconsulte ac temere imitati manum aperte prodere videantur. Oedipus [1]) Sophocleus de scena decessurus alloquitur *Θήβης ἐνοίκους*; prorsus recte, nam chorus est senum Thebanorum. Apud Euripidem pro „*Θήβης ἔνοικοι*“ posita exstant „*πάτρας πολῖται*“ (ex Oed. Tyr. v. 1526?). Sed quid hic sibi vult vox *πολῖται*, cum chorum efficiant virgines Tyriae? Deinde totius verborum ambitus inde a v. 1758 usque ad v. 1761 structuram comparanti mihi cum Oed. Tyr. versibus 1524—27 videtur fugisse versuum conditorem, apud Sophoclem verba sic coniungenda esse inter se: *λεύσσετε* .. *εἰς ὅσον κλύδωνα* . . *ἐλήλυθεν Οἰδίπους ὅδε, ὃς κ. τ. λ.*; quo factum est, ut sine ullo vinculo in nostrae linguae modum componeret haec: *λεύσσετ', Οἰδίπους ὅδε, ὃς . . . ἔγνω, . . . ἐξελαύνομαι.* Etiam v. 1763 . . . *θνητὸν ὄντα δεῖ φέρειν* sapit quodammodo Sophoclis verba *θνητὸν ὄντα . . . γε δεῖν* [2]) . . *μηδέν' ὀλβίζειν* (v. 1528 sq.), quamquam hoc non multum valet.

---

1) Nam valde inclino in Wilamowitzii sententiam, versus Sophocleos reddendos esse Oedipodi („doch beweist die interpolation, was auch die exegese ergiebt, dass der schluss des König Oedipus dem Oedipus selbst, nicht dem chore gehört.“ Hermes XVIII, 239.). Ac primum me movet, quod in Phoenissis (v. 1728) similiter dicit Oedipus: *ὅδ' εἰμὶ μοῦσαν ὃς ἐπὶ καλλίνικον οὐράνιον ἔβαν παρθένου κόρας αἴνιγμ' ἀσύνετον εὑρών*, in quibus componendis poetae animo obversatus sit Oed. Regis exitus; quin etiam nescio an versibus 1732 sqq. tecte perstringat Noster ista Oedipodis Sophoclei. Deinde haec: *πάτρας Θήβης ἔνοικοι* aptius dicuntur ad chorum quam a choro. Denique post Creontis verba: *καὶ γὰρ ἀκράτησας, οὔ σοι διὰ βίου ξυνέσπετο* (v. 1523) magis conveniat, Oedipodem hos versus pronuntiare (cf. *κράτιστος ἦν ἀνήρ* v. 1525; *πρὶν ἂν τέρμα τοῦ βίου περάσῃ* vv. 1529, 30.)

2) Sic enim emendaverim corruptam librorum scripturam *ἰδεῖν*. Quod Nauckius proposuit *χρεών* ut sententiae satisfacit, ita longius paulo abest a tradita lectione. Quam ego inserui particula *γε* neque inepta hic videtur esse neque supervacanea: „supremae quidem diei habita ratione“. Nam cur alioquin non praedicabis, quicumque beatus est?

Igitur de fontibus versuum 1758—63 dubitari nullo modo potest.

Difficilius est diiudicare de chori verbis vv. 1764—66:

> ὦ μέγα σεμνὴ Νίκη, τὸν ἐμὸν
> βίοτον κατέχοις
> καὶ μὴ λήγοις στεφανοῦσα.

Eadem traduntur in fine Orestis et Iphigeniae Tauricae. Sed quae illic bene conveniunt cum felici rerum eventu, genuinus nostrae fabulae exitus fuisse non possunt. Quum periissent quae ab Euripide profecta erant, communis ille Orestis et Iphigeniae locus huc translatus videtur[1]).

Atque veri est simillimum, omnes versus inde a v. 1758 additos esse a fabulae actoribus, quibus nescio an magis placuerit, Oedipodem ut apud Sophoclem σεμνῶς quodammodo perorantem discedere de scena. His autem versibus 1758—63 deinde agglutinata sunt ista chori. Huic quae tribuerat poeta ipse, verba Antigonae 1753—57 ita exceperant, ut in universum eorum rationem haberent, si vera sunt, quae supra disputavi.

Ut paucis iam repetam, quae docuit disputationis nostrae progressus: neque, id quod Muellerus contendit, inserti esse possunt fabulae nostrae ii versus, quibus Antigona fratrem se esse sepulturam pronuntiat neque cum Bakhuyzenio cogitandum est de duorum argumentorum contaminatione, quorum alterum fuerit de Antigona patrem in exilium comitante, alterum, postea iniuria illatum Phoenissis, de eadem fratris sepulturam intendente, ne versus quidem 1747—57 ex Euripidis Antigona, quae res istam sententiam confirmare possit, huc invecti sunt.

Restat igitur ut quaeramus, num forte tota pars extrema aliena manu addita sit genuinis poetae verbis, cum Euripidis fabula finiretur Oedipodis et Antigonae lamentis (vv. 1485—1581).

---

1) Cf. praeterea Dindorf. Annot. Oxon. 1839.

Qui hanc sententiam protulit Weckleinius[1]) eius rei indicium affert v. 1703 sqq:

ΟΙ. νῦν χρησμός, ὦ παῖ, Λοξίου περαίνεται·
ΑΝ. ὁ ποῖος; ἀλλ' ἦ πρὸς κακοῖς ἐρεῖς κακά;
ΟΙ. ἐν ταῖς Ἀθήναις κατθανεῖν μ' ἀλώμενον.
ΑΝ. ποῦ; τίς σε πύργος Ἀτθίδος προσδέξεται;
ΟΙ. ἱερὸς Κολωνός, δώμαθ' ἱππίου θεοῦ.

qui versus non ante Oedipodem Coloneum doctam, sed post eam scripti esse videantur. Atque Aeschylus (cf. Septem vv. 1002—4) ex antiqua fabulae forma (cf. Hom. Il. XXIII, 679, 80: *ὅς ποτε Θήβασδ' ἦλθε δεδουπότος Οἰδιπόδαο | ἐς τάφον*) Oedipodem ipsis Thebis mortuum esse atque conditum finxit. Quod idem dici poterit de Sophocle Autigonae verba v. 900 sqq. componente. Sed in Oedipode Tyranno alia fabulae forma obversata est poetae: nam v. 1449 pronuntiat Oedipus, Thebas se esse relicturum, vv. 417, 455 sqq, 1455 de mira sunt aliqua mortis ratione extra Thebarum fines Oedipodi imminentis[2]). Haec quin primordia sint eius, quae in eiusdem auctoris Oedipode Coloneo exstat, fabulae compositionis dubium esse vix potest[3]). Unde colligere licet, vulgatam fuisse per pagum Atticum, cui nomen erat *Κολωνός*, fabulam ex qua Oedipus Thebanorum rex vita ibi decesserat. Nulla vero res impedit, quominus suspicemur eam ipsam fabulam ad v. 1703 sqq. componendos materiam praebuisse etiam Euripidi, qui saepius tragoediis suis inseruit quae audientium

---

1) Ed. Phoen. ad v. 1539.

2) Sequor in his Hilleri sententiam in scholis de litterarum Graecarum historia habitis prolatam.

3) Recte se habere non potest, quod Wilamowitzius (Hermes XVIII, 239) Philoctetae argumentum secutus putat, Sophoclem nostro Phoenissarum loco adductum Oedipodem Coloneum composuisse. Namque Soph. Phil. acta est a. 409; Oedipodis vero Colonei trimetri cum multo accuratius conditi sint illis Philoctetae, hodie optimo ut videtur iure putant viri docti, iam viginti fere annis ante Sophoclis mortem tragoediam illam compositam esse, multo igitur ante quam Euripidis Phoenissae in scenam producerentur.

animos ad prisca Atheniensium reipublicae tempora revocare possent, cf. Phoen. vv 851, 52; Herc. v. 1330 sqq.

Versus 1758—63 quamquam certe non debentur Euripidi, Weckleinii de hac scena iudicium confirmare nullo modo possunt. Si quis alius haec adornavisset, eum, ne suspicionem moveret, non tam aperte versibus Sophocleis usurum fuisse consentaneum est.

Etiam minorem habet veri speciem, eiusmodi conditorem scenae eorum memorem, quae Aristophanes luserat in Ranis v. 1183 sqq., similia ista dicentem fecisse Oedipodem v. 1597 sqq.:

ὃν καὶ πρὶν εἰς φῶς μητρὸς ἐκ γονῆς μολεῖν,
ἄγονον Α. Δ. μ᾽ ἐθ. φ. γ. π.

Siquidem tautologia, quae inest quodammodo verbis *πρὶν — ἄγονον* agnosci debet[1]), cum Valckenario nobis censendum erit, ea ipsa verba perstrinxisse Aeschylum Aristophaneum vv. Ran. *ὅντινά γε, πρὶν φῦναι μέν, ἀπόλλων ἔφη | ἀποκτενεῖν τὸν πατέρα, πρὶν καὶ γεγονέναι.* — Cum vero Ranae doctae sint a. 405, iste earum locus gravissimum contra Weckleinii sententiam sit testimonium.

Plurimum vero valere videtur ad probandum eius iudicium, quod Antigona, id quod pronuntiat ista fabulae parte, non simul fratrem sepelire et cum patre exulare possit.

Ne ego quidem negaverim, haec duo Antigonae enuntiata valde pugnare inter se. Errat tamen quicunque hac de causa scenam abrogandam esse putat ab Euripide. Namque e tragoediae argumenti ratione sicut instituta est a poeta, demonstrari potest, nihilominus totam istam, qua talia profitetur Antigona, fabulae partem ab Euripide ipso profectam esse.

Atque in compositionis fabulae consilio diiudicando hoc praecipue tenendum est, aperte imitatum esse poetam Phoenissis suis Aeschyli Septem. Sed hac potissimum

1) Cf. infra pg. 28.

re — ut omittam dicere de moribus Eteoclis et Polynicis ab utroque poeta diverse depictis — discrepat huius tragoediae argumentum a fabula Aeschylea, quod in ea et Oedipus et Jocasta, quos iam mortuos finxerat Aeschylus, etiam vivi in scenam producuntur.

Atque Jocastae poeta tribuit, ut filios ad colloquium arcessitos reconciliare studeret. Cum vero altercatione vehementissima exorta etiam magis exasperati discedant ad mutuam caedem fratres, quasi auctor est mater tam scelesti conatus eiusque, qui iam sequitur, rerum progressus. Atque quae fratrum certamen singulare impedire iam non potuerit filiis interemptis sibi ipsa mortem consciscit.

Quarum Jocastae partium habita ratione quid tribuisse putabimus poetam Oedipodi? Num id tantum, ut ab Antigona evocatus una cum ista mortuos lamentaretur hic illic requirens, qualem et Jocasta et filii habuissent vitae exitum? An hac sola de causa usque ad id tempus vivum finxerit Noster tantarum miseriarum auctorem, ut Jocastae, quam simul cum filiis diris suis perdidisset, morte ipse puniretur gravissime? Nonne potius postulat argumenti concinnitas, ut proponatur nobis, quid tandem Oedipode iam futurum sit, uxore filiis mortuis, regno Creonti tradito? Mea quidem sententia audientes de hac re incertos relinquere poeta nullo modo potuit. *Unde efficitur, alteram postremae scenae partem, quae est de Oedipodis exilio, Euripidi ipsi deberi.*

Altera eorum, quae hac scena aguntur, *pars pertinet ad Polynicem sepeliendum.*

Ac possit quidem dici vel ea de causa haec esse genuina, quod in fine fabulae Aeschyleae eadem, quae in Phoenissis, profiteatur Antigona. Sed non semper in mythopoeia quam vocant Euripidem secutum esse Aeschylum modo apparuit. Decernitur vero res eo, quod duobus ipsius fabulae locis, *versibus* 774—777:

πόλει δὲ καὶ σοὶ ταῦτ' ἐπισκήπτω, Κρέον·
ἤνπερ κρατήσῃ τἀμά, Πολυνείκους νέκυν

μήποτε ταφῆναι τῇδε Θηβαίᾳ χθονί.
θνήσκειν δὲ τὸν θάψαντα, κἂν φίλων τις ᾖ.

et versibus 1447—50:

θάψον δέ μ', ὦ τεκοῦσα καὶ σύ, σύγγονε,
ἐν γῇ πατρῴᾳ, καὶ πόλιν θυμουμένην
παρηγορεῖτον, ὡς τοσόνδε γοῦν τύχω
χθονὸς πατρῴας, κεἰ δόμους ἀπώλεσα.

significata sunt atque praeparata ea quae hic composita exstant. Ac priore loco [1]) Eteocles cum Creonte collocutus Polynicem fratrem sepeliri vetat in patria terra, posteriore Polynices ipse moribundus precibus petit a matre atque sorore, ut placata civitate irata ipsum condant. Aperte id egit poeta, ut horum alter locus referretur ad alterum. Utrumque autem qui audiverant, — moribundi praecipue Polynicis verba in audientium animis haeserint — persuadere ii sibi debebant, poetam rem sic esse instituturum, ut de utroque mandato [2]) in scena ageretur, atque ita quidem, ut Creon regis mortui iussa perficere conaretur, cum Antigona a Polynice staret postremas eius preces sustinendi causa. Re vera fiunt haec ista altercatione inter Creontem et Antigonam inde a versu 1645 instituta, quae sic non solum apte interposita est verum etiam poscitur argumenti ratione. Quam accurate omnino eiusmodi scena respondeat Euripidis ingenio vix est monendum Ex hac vero altercatione nasci duo ista Antigonae enuntiata, se et patrem prosecuturam esse (v. 1679) et fratrem sepulturam (v. 1743 sqq.) iam supra demonstravi (pg. 4).

Igitur, dummodo genuini sint isti loci 774—77, 1447—50, necessario ab eodem Euripide pro-

---

1) Qui solus tamen vix sufficiat ad Weckleinii sententiam refutandam, cum ratione eius habita interpolator aliquis Creontem facile possit fecisse pronuntiantem ista Eteoclis mandata versibus 1627 sqq., 1646 sqq.

2) Quid? quod Euripides sic composuit fabulam, ut Creon ipse per nuntium certamen singulare enarrantem istas Polynicis preces cognoscat, ita ut a primo Antigonam in hac re suspectam habere debeat; quam suspicionem prodere videntur eius verba v. 1633 sqq.

fecta est extrema, quam in dubium vocavit Weckleinius, *fabulae pars*.

Neque vero fugit hunc, ut probabilem reddere posset sententiam suam, una cum tota scena postrema etiam istos *versus* 774—77 sibi abrogandos esse ab Euripide eidemque interpolatori tribuendos.

Sed iam Hillerus in recensione edit. Weckleinianae [1]) optimo iure monuit, deletis eis molestissime repeti idem versuum parvo iam spatio separatorum 771, 778 initium σοὶ μέν. Addiderim his, aliquem versuum conditorem vix eos fuisse inserturum eo, quo traduntur, loco, sed certe ante verba ἓν δ' ἐστὶν ἡμῖν ἀργόν (v. 766), quibus transiri quodammodo videtur ad postremum aliquod mandatum vel statim post v. 754 sqq., quo loco de eodem Polynice, quem occidere ardenter cupit, dicat Eteocles.

Ceterum etiam alius locus tollendus fuit Weckleinio: cf. vv. 757—60 cum partis extremae vv. 1587, 88. Omnino assentiendum erit Hermanno [2]), totam hanc Eteoclis orationem inventam esse a poeta ea potissimum de causa, ut reliqua, quae a summa tragoediae argumenti aliena sunt, aliquo tamen vinculo possent adnecti, sc. mors Menoecei (cf. vv. 766—75), Antigonae et Haemonis nuptiae, edictum de Polynice non sepeliendo. — Nec tamen recte censet vir doctus, ineptum esse hic Eteoclem tot verba facientem post vv. 751—53 [3]). Eorum enim sententia haud ita premenda est, cum ἐν παρέργῳ quasi perstringant artem Aeschyleam non semper rationem habentem externae rerum condicionis. Per se satis apte dederit Eteocles proelium incertum initurus Creonti postrema ista mandata.

Genuinum vero esse *Polynicis enuntiatum* v. 1447 sqq. vel ex eius fine intelligitur: ὡς τοσόνδε γοῦν τύχω χθονὸς

1) Deutsche Literaturzeitung 1882, s. 783.

2) Phoen. ed. praef. XIX, XX.

3) Sine idoneis causis hos versus in dubium vocaverunt Trendelenburgius (Gr. Gr. de arte trag. iudiciorum reliqq. Bonnae 1867 pg. 54 not.), alii.

πατρῴας, κεἰ δόμους ἀπώλεσα, quae verba Euripidis ingenii vestigia aperte prae se ferunt.[1]) Praeterea artem quandam componendi prodit, quod ut in terra patria condatur Polynices petit moribundus, qua re precibus eius summum additur pondus.

Ceterum — quam rem hic attingere mihi liceat — uterque locus non modo convenit cum moribus Creontis et Antigonae, quales depinguntur ab Euripide, verum etiam lucem eis affert. Cum enim apud Sophoclem Creon vir atrocissimus ipse auctor sit gravis istius edicti, nostra fabula exsequitur tantummodo regis mortui mandata. cf. v. 1646: *Ἐτεοκλέους βουλεύματ᾽, οὐχ᾽ ἡμῶν, τάδε.* Congruit cum his cedere eundem Antigonae, quae ut patrem possit comitari, Haemonis matrimonium repudiat v. 1673 sqq. — Quod deinde pertinet ad Antigonae mores, in scenam producere voluit Noster sororem virginis in modum sentientem, non heroinam, ut ita dicam, qualem finxerat Sophocles. Quare sic instituit rem, ut Polynicem supplicantem induceret, cuius precibus commota (non tam memor divinarum legum, ut Antigona Soph.) Creontis edicto se opponit Antigona. Finxit eadem de causa eam fratris amantissimam; cf. v. 163 sqq., v. 1661, praecipue v. 1702 *ὦ φίλτατον δῆτ᾽ ὄνομα Πολυνείκους ἐμοί* (maluerim cum Hartungio scribere *ὄ μ μ α*); compara cum his Oedipodis verba: *ὦ φίλα πεσήματ᾽ ἄθλι᾽ ἀθλίου πατρός* (v. praeced.).

---

1) Bergkius (commentatio de vita Sophoclis, in ed. Soph. fab. Teubner. 1858 pg. 27) suspicatus est, exitum Septem fabulae non prodiisse ab Aeschylo ipso, sed postea adiectum esse tragoediae ratione habita argumenti Antigonae Sophocleae. Sed iam alii monuerunt, nuntium Aeschyleum non mortem minitari Antigonae Polynicem sepulturae, sed tantummodo verba facere de civium animis infestis atque irritatis v. 1044: *τραχύς γε μέντοι δῆμος ἐκφυγὼν κακά,* ad quae Antigona: *τράχυν᾽. ἄθαπτος δ᾽ οὗτος οὐ γενήσεται.* Haud aliter nostro Phoenissarum loco Polynices commemorat civium animos commotos: *καὶ πόλιν θυμουμένην παρηγορεῖτον* (v. 1448). Nescio an hoc quoque argumentum contra Bergkii sententiam afferri possit, cum Euripidis haec componentis animo facillime possit observatus esse iste locus Aeschyleus.

Sed ut revertar, unde digressus sum, cum omnibus, quae supra attuli, argumentis probetur, Euripidem ipsum postremae scenae auctorem esse, *qui fieri poterat, ut fabulam sic componeret, duo ut consilia inter se repugnantia pronuntiantem faceret Antigonam?* Atque Hartungius, Schoenius interpretando rem expedire student: fingendum nobis esse, Oedipodis mortem instare, ita ut Antigona paulo post redire possit ad fratrem sepeliendum; virginem, ut sit concitata, fugere patris comitem se non posse solvere iusta fratri. Utcumque haec se habent, quamquam poeta credere poterat, audientes, cum alterum propositum in scena perageret Antigona in posterum reservato altero, haud ita offensuros esse in istis enuntiatis inter se repugnantibus, *certe in his exstat compositionis vitium. Quod* ut non fugit poetam, ita unde *fluxerit*, minime latet, nempe e *nimio* eius *studio, argumentum fabulae in scena agendae quam copiosissimum reddendi.* Quo eodem pertinent Oedipus et Jocasta in scenam producti. Omnino hoc studium apparet in omnibus fere tragoediis, quae tum composuit Euripides. Quod vero ad ipsas Phoenissas spectat, non male suspicatur Hermannus (l. c. pg. XVIII.) Euripidem, cum in desuetudinem venisset antiquus mos unum argumentum tribus continuis explicandi tragoediis, Atheniensibus implicatioribus argumentis tum adsuetis, omnia, quae ad idem argumentum pertinerent in unius tragoediae fines coacervare voluisse. Sic certe excusari possunt, quae non prorsus concinunt inter se.

Nec tamen in hac extrema fabulae parte, quam profectam esse ab ipso Euripide evicisse mihi videor, genuina ubique poetae verba nobis tradita sunt, ne id quidem dico praeter exitum fabulae falso illatum eam carere additamentis vel minoribus vel maioribus. Sed hic quoque ut reliquis fabulae partibus in versibus spuriis investigandis

ac statuendis iustum modum excesserunt critici, cum paucorum versuum numerum non egrediantur, quae inserta sunt, si recte se habent, quae iam exponam.

Vel ea, quae statim post Antigonae lamentationes traduntur libris mscr. chori verba vv. 1582. 83:

πολλῶν κακῶν κατῆρξεν Οἰδίπου δόμοις
τόδ' ἦμαρ. εἴη δ' εὐτυχέστερος βίος.

damnavit Geelius (l. c.). Herwerdenus [1]) quoque in suspicionem ea vocavit nec non assentitur Geelio Weckleinius (l. c.). Zippererus [2]) vero putat expletam esse his duorum versuum lacunam; quorum prioris sententiam fere restituisse Schoenium[3]), qui coniecit: π. κ. ἔπλησεν Οἰδίπου δόμους τόδ' ἦμαρ εἴην δ' εὐτυχέστερος βίον, altero Creontem adventare fuisse indicatum. Sane convenit hoc cum Graecorum lege scenica, ab Euripide quoque observata, ex qua personae aut priusquam loquantur aut in ipsius orationis exordio aperte significantur. Sed dubitari potest, an omnino non decesserit de scena Creon post nuntii narrationem. Primis quidem ex eius verbis: οἴκτων μὲν ἤδη λήγεθ', ὡς κ. τ. λ. (v. 1584) colligi poterit, adfuisse eum etiam Antigonae et Oedipodis lamentis. Sed utcumque haec se habent, certe haud inepte hoc loco chorus interloquitur. Neque crediderim, spuria esse quae traduntur, cum prioris versus sententia bene adnectatur Antigonae verbis: πάντα δ' ἐν ἄματι τῷδε συνάγαγεν . . ἁμετέροισι δόμοισιν ἄχη θεός. . (vv. 1579, 80). Corruptus tamen est versus alterius exitus: εἴη δ' εὐτυχέστερος βίος, quem neque Hartungii [4]) coniectura: εἴη δ' αὖθις εὐτυχέστερος (sc. Oedipus) probabiliorem reddidit neque Schoenii emendatio supra allata: εἴην δ' εὐτυχέστερος βίον, ita ut de se ipso loqueretur chorus, sicut versibus 1201, 02. —

---

1) Mnemosyne IV (1855), 366.

2) De Euripidis Phoenissarum versibus suspectis et interpolatis. diss. inaug. Wirceburgi 1875.

3) Philol. X, 404.

4) Ed. Phoen. 1849.

Equidem facili correctura scribendum propono: εἴη δ' εὐτυχέστερον τέλος. De voce εὐτυχής, vernacula lingua „glückbringend“, cf. Soph. El. 766, 999; τέλος autem apte opponitur voci κατῆρξεν. Quod deinde spectat ad sententiam enuntiati sic restituti prorsus deceat chorum Eteoclis mandati v. 774 sqq. nec non Polynicis moribundi precum (v. 1447 sqq.) memorem his significare audientibus, quam sollicitus sit de rerum exitu. Sic aptissime haec verba praemittuntur eis, quae statim aguntur in scena.

Inde a versu 1595 lamentatur Oedipus de infelicissima vitae suae condicione. In his nonnulla damnaverunt critici sine idoneis causis; alii versus facile expediuntur, dummodo via ac ratione eos interpretemur; vv. 1604, 05, 1611, 1612—14 interpolati esse omnino non possunt, quippe quos postulet sententiarum conexus.

Kirchhofffus, Hensius, alii versum 1596:

καὶ τλήμον', εἴ τις ἄλλος ἀνθρώπων ἔφυ

quem Hermannus, Dindorfius, Geelius, Hartungius eicere malunt, pro depravato potius quam pro spurio habendum esse putant.

Atque Geelius recte monuit, nihil significare vulgata verba nisi hoc: „si quis alius hominum natus est“. — Nec tamen magnam veri speciem habent, quaecumque versus emendandi causa proposuerunt vel Valckenarius: ὢ τλῆμον, κ. τ. λ. vel Matthiaeus[1]): καὶ τλήμον' εἴ τιν' ἄλλον ἀνθρώπων ποτέ, vel Hermannus: τλήμων γάρ εἴ τις ἄλλος ἀνθρώπων, ἔφυν (quod deinde placuit Nauckio), vel Hensius[2]): εἴ τιν' ἄλλων ἀνθρώπων ποτέ, vel denique Leutschius[3]): ὡς ἔψαυσας . . . εἴ τιν' ἄλλον ἀνθρώπων ἐμέ. Quae omnia longius paulo distant a tradita scriptura. Unius Seyfferti[4]) coniectura οὔτις pro εἴ τις cum bonum

1) Euripidis tragoediae, Lips. 1813—36.
2) Exercitationes criticae, Halis 1868.
3) Philolog. Anzeiger I, (1869) s. 87.
4) Beiträge zur Kritik von Euripides Phoenissen, Rhein. Mus. XVII. (1862), 29—54.

efficit sensum tum facilitate correcturae commendatur. Sane facile potuit errore alicuius in textum irrepere *εἴ τις* pro *οὔτις*; cf. Androm. v. 6, ubi altera librorum pars *εἴ τις* exhibet altera *οὔτις*, *εἴ τις* tamen lectio est genuina. — Nihilominus concinnior fieret oratio, si deesset versus sic emendatus. Nimirum tantummodo verbis: *ἀπ' ἀρχῆς* (v. 1595) omnis sententiae vis inest; de quibus solis agitur versibus 1597—99. Praeterea *ὡς* ecphoneticum et per se et ratione habita enuntiati exitus: *ὦ τάλας ἐγώ* praeferendum esse videtur *ὡς* syncritico. Quare inclinaverim ad versum eliminandum; nihil tamen invenire possum, quod ansam talia inserendi praebere potuerit.

Versibus 1597, 98:

ὃν καὶ πρὶν εἰς φῶς μητρὸς ἐκ γονῆς μολεῖν,
ἄγονον Ἀπόλλων Λαΐῳ μ' ἐθέσπισε
φονέα γενέσθαι πατρός.

praesidio sunt Aeschyli verba in Ar. Ranis v. 1183 sqq.: „*ὅντινά γε, πρὶν φῦναι μέν, ἀπόλλων ἔφη | ἀποκτενεῖν τὸν πατέρα, πρὶν καὶ γεγονέναι*“, quibus, id quod iam Valckenarius recte vidit, Aristophanes aperte perstrinxit nostram Phoenissarum tautologiam. Hartungius[1]), qui vocabula *ἄγονον με* pro interpretamento addita esse et ad corrumpenda reliqua causam dedisse hariolatur, summo arbitrio sic contraxit vv. 1597—99: *ὃν . . . μολεῖν, φονέα γενέσθαι πατρὶ θεσπίζει θεός.* Sed ipsum illud *ἄγονον* cum invenisset risit hanc tautologiam Aristophanes ut poeta comicus, quamquam vox *ἄγονον* otiosa non est, qua fortasse complecti voluit Euripides versus praecedentis sententiam[2]); certe nobis non molesta est illa tautologia. — De pronomine *με* post *ὃν* posito cf. Nauckium (l. c.), qui multa attulit exempla quibus tali modo coniunguntur inter se pronomen personale et relativum

Idem Nauckius versum 1600 sqq.:

ἐπεὶ δ' ἐγενόμην, αὖθις ὁ σπείρας πατὴρ
κτείνει με, νομίσας πολέμιον πεφυκέναι·

---

1) Iphig. Aulid. pg. 42.
2) Cf. Thiersch. Gr. Gr. pg. 588.

χρῆν γὰρ θανεῖν νιν ἐξ ἐμοῦ· πέμπει δέ με
μαστὸν ποθοῦντα θηρσὶν ἄθλιον βοράν.

accuratius tractat spuria esse arbitratus verba πεφυκέναι — ἐμοῦ. Jam Kirchhoffius adnotavit, fortasse nec πεφυκέναι nec δυσδαίμονα, quod meliores libri praebent (in AB sic scriptum est: δυσδαίμονα γρ. πεφυκέναι) verum esse. Seyfferto (l. c.), qui ironiam inesse putat istis: χρῆν γὰρ θανεῖν νιν ἐξ ἐμοῦ, „interfici enim debebat a me infante“, cuius rei testimonium affert verba μαστὸν ποθοῦντα, ut versum defenderet non contigit. Moleste eo repetitur, quod modo dixit Oedipus vv. 1598/99; praeterea, quod Nauckius monet, ne dilucide quidem (ratio postulat ἐφοβεῖτο γὰρ pro χρῆν γάρ) neque eleganter haec composita sunt (quasi dicere vellet Oedipus oportuisse a se interfici Laium). Confirmatur interpolationis suspicio voce γάρ. E librorum autem lectione cognoscitur, pro πεφυκέναι initio scriptum fuisse δυσδαίμονα, cui vocis πολέμιον interpretamento e versu 1608 fortasse sumpto [1]) alius commentator (inde γάρ) ex eodem versu 1608 (κτανὼν . . . ὁ δυσδαίμων ἐγώ) addidisse videtur quae sequuntur: χρῆν γὰρ θανεῖν νιν ἐξ ἐμοῦ [2]). Cum igitur quomodo orta sint haec verba supervacanea non modo, sed etiam inelegantia facillime cogitari possit, Nauckio ea delenti assentiri non dubitaverim. — Sed opus non erit cum eodem scribere ὀλέθριον πέμπει δέ με pro πολέμιον π. δ. μ. vel quod audacius proposuit: ὄλεθρον ἐκβάλλει δέ με. Vox ὀλόμενος, quam Seyffertus commendat, ut saepius invenitur in tragoediarum carminibus ita semel tantum exstat in senariis (cf. Soph. frgm. 189 N.). Retineo traditam lectionem paulo frigidiorem quidem, sed non ineptam.

---

1) Quare haud effecerim ex hac voce, ut fecit Faustius (Gymn.-Pr. Altkirch 1881), Euripidem dedisse δύσθεον, non πολέμιον.

2) Nauckius putat haec adscripta esse ut explicarentur verba νομίσας πολέμιον. — Ceterum, quod in l. Marciano deest vox νιν, indicium vix erit hoc, in l. archetypo versus 1602 initium nondum redactum fuisse in trimetri formam, cum facile excidere posset νιν post θανεῖν.

Neque v. 1600 αὖθις (sc. ὁ σπείρας αὖθις κτείνει) cum Seyfferto mutaverim in αὐτίκ' vel εὐθὺς aut cum Nauckio in αὐτὸς ὁ σπείρας („fühllose härte des leiblichen vaters"; non incommodum id quidem, si scriptum exstaret).

Conclamatissimi sunt, qui sequuntur versus 1604—07:

οὐ σῳζόμεσθα. Ταρτάρου γὰρ ὤφελεν
ἐλθεῖν Κιθαιρὼν εἰς ἄβυσσα χάσματα,
ὅς μ' οὐ διώλεσ', ἀλλὰ δουλεῦσαί τέ μοι
δαίμων ἔδωκε Πόλυβον ἀμφὶ δεσπότην.

Ac Dindorfius postquam iam antea [1]) duos posteriores damnavit deinde [2]) Hartungium secutus etiam priores eiecit. Sed cum Hartungio [3]) facere non licet, cum versus 1608 minime possit excipere versum 1603. Sane apparet, quanta in his utatur Oedipus orationis brevitate (cf. praecipue vv. 1608—10), nec tamen postquam se expositum fuisse dixit, statim transire potest ad patris caedem ne uno quidem verbo commemorata salute sua. Adde quod ipsa verba Ταρτάρου—χάσματα propter remotam sententiam interpolatori tribui vix possunt; cf. quae annotaverunt ad v. 1312 Herwerdenus [4]), Trautmannus [5]); ad v. 847 Weckleinius [6]). Neque concedere possum, ut tollatur, quamvis in re aperta (cf. vv. 24, 801 sq.), Cithaeronis nomen, ita ut reliqua sint incerta haec: πέμπει με ... θηρσὶ βοράν.

Miror tamen, quod interpretes deinceps inde a Valckenario perperam intellexerunt versus de Oedipode Cithaeroni, quia ipsum non delevisset, diras imprecanti, decepti, ut videtur, scholiastae verbis: εὐήθως δὲ καταρᾶται τῷ Κιθαιρῶνι, ὅτι οὐκ ἀπώλεσεν αὐτὸν κ. τ. λ. [7]). Neque enim

---

1) Annotationes Oxon. 1839.

2) Poetae Scenici 1869.

3) Ed. Phoen. 1846. — Stultam eius versuum 1604, 05 interpretationem recte castigavit Zippererus l. c.

4) Mnemos. IV, 366.

5) L. c. pg. 9.

6) Ed. Phoen.

7) Apud Dindorf. pg. 387, 8 sqq.

dubium est, quin versus isti sic vertendi sint: sed ibi servatus sum; utinam potius cecidisset Cithaeron in Tartarum (nempe cum in eo expositus essem). ἐλθεῖν de tempore praeterito, cf. vv. 804, 06; γὰρ ὤφελεν ut in Cyclopis versu 261: κακῶς γὰρ ἐξόλοιο.

Transeamus iam ad vv. 1606—7 examinandos, de quibus multo facilius poterimus diiudicare recte interpretati versus praecedentes. Atque offendit horum versuum et forma et sententia. Primum quidem deest voci τε, quo apte referri possit, quare Porsonus alii eam removere studuerunt. Deinde vero verbum δουλεῦσαι repugnat versibus 24, 25, pro quorum sententia non servi sed filii condicionem Oedipus habuerat in Polybi aedibus. Quae vitia ut simul tolleret Caesar[1]) corrigendum proposuit δούλοισιν φέρειν; sed minime haec quadrant in sequentis versus verba Πόλυβον ἀμφὶ δεσπότην[2]). Quae vero Stahlius[3]) excogitavit nullam omnino habent veri speciem. E. Zippereri[4]) denique opinione Oedipodi[5]) servi esse videri poterat vivere in alieni regis aula. Quae sententia si admittitur, recepta Klotzii[6]) coniectura δουλ. γε pro τε sic explicarem locum: non perii quidem, sed certe ut servirem, fatum mihi imposuit (οὐ σωζόμεσθα . . . ἀλλὰ δουλεῦσαί γέ μοι δ. ε.).

Sed omnia haec aliqua ex parte laborant. Ac multum habet probabilitatis, ab aliquo insertos esse versus, cui hoc loco Oedipus exsecrari videretur Cithaeronem, ita ut eius rei causam ad-

1) Coniect. crit. Marb. 1871; pg. XI.

2) Cf. Philol. Anz. XII (1882), pg. 389.

3) Diss. Bonnens. 1856: ἔρημον εἰς· οὗ σωζόμεσθα· Ταρτάρου | γὰρ ὤφελ' ἐλθεῖν εἰς ἄβυσσα χάσματα, | ὅς μ' οὐ διώλεσ', ἀλλὰ δουλεύσαις γ' ἐμοὶ | αἰῶν' ἔδωκε Π. α. δ.: Tartari profecto immensas fauces intrare debebat is, qui me non sivit perire (cf. Hec. 232) sed, cum servus esset, vitam mihi dedit apud Polybum dominum. — Quam longe distant haec a traditis verbis!

4) L. c. pg. 86.

5) Ut est animo elato.

6) Ed. Phoen.

dendam sibi esse putaret verbis: ὅς μ' οὐ διώλεσ' κ. τ. λ. Neque enim tam insulsus est Euripides, ut Oedipodem Cithaeroni monti, ubi vivus etiam inventus erat a Polybi pastoribus, diras fecerit imprecantem, quod fecisset, si genuina essent verba: ὅς μ' οὐ διώλεσ'. Qua re multo minus me offendunt et vox δουλεῦσαι et quae ineleganter composita sunt: δουλ. τε . . δαίμων ἔδωκε . . . κτανών δ' . .

Deletis versibus intermediis vv. 1604, 05 sic cohaerent cum sequentibus: Oedipus salutem suam commemorans optat, ut in Tartarum potius cecidisset una cum infante eiecto Cithaeron; quo facto servari non potuisset ad ista perpetranda facinora, quae statim enumerat.

In his versus 1611:

ἀρὰς παραλαβὼν Λαΐου καὶ παισὶ δούς, quem Dindorfius[1]) ut a grammatico aliquo additum verbis οὓς ἀπώλεσα (v. 1610) eiecit, spurius esse non potest, cum praecedere eum oporteat versus 1612—14[2]), quod recte monuit Weckleinius[3]).

Hos ipsos enim versus 1612—14:

οὐ γὰρ τοσοῦτον ἀσύνετος πέφυκ' ἐγὼ
ὥστ' εἰς ἔμ' ὄμματ' εἴς τ' ἐμῶν παίδων βίον
ἄνευ θεῶν του ταῦτ' ἐμηχανησάμην.

quominus eliminemus cum Schenkelio[4]) duabus his impedimur causis. Primum quidem sic repeteretur moleste eadem versuum parvo intervallo separatorum clausula ὁ δυσδαίμων ἐγώ, quod vitium ne inferamus in textum cavendum nobis erit. Deinde vero ea quae sequuntur versu 1615, aperte rationem habent versuum 1612—14. Hinc ista: τί δράσω δῆθ' ὁ δυσδαίμων ἐγώ; quibus verbis paene omni ex parte lux demum affertur enuntiato nostro: οὐκ . . . ἄνευ θεῶν του ταῦτ' ἐμηχανησάμην. Nimirum dicit Oedi-

---

1) Annotationes. Oxon. 1839.

2) Nisi forte horum sententiam referes ad v. 1608: ὁ δυσδαίμων ἐγώ, quod certe parum commode fieret.

3) Ed. Phoen.

4) Philol. XX. (1863).

pus: quandoquidem quaecumque patravi ex eadem fati necessitate pependerunt, quid tandem fiet me homine infortunatissimo? Cogitando si ponitur v. 1615 post v. 1610, statim apparet, quam non concinant eius verba cum antecedentibus.

Versum 1621:

ἀποκτενεῖς γάρ, εἴ με γῆς ἔξω βαλεῖς

damnavit Kirchhoffius, causas attulit nullas. Primo obtutu suspicionem movet vox γάρ; atque cum audientes persuasum habere debeant verbum ἀποκτείνειν v. 1620 non dici de Oedipodis nece sed de eius exilio tantum, in quo vitam producere vix poterit (cf. v. 1619), inutilis esse versus videatur. Certe non est ineptus neque turbat sententiarum conexum, ita ut unicuique ex sensu suo iudicandum sit, utrum Euripidi tribuere possit versum necne. Equidem retineo verba tradita. Etenim nescio an de industria repetiverit poëta versus sequentis initio, quam premere volebat vocem ἀποκτείνειν: „profecto vita me privabis, Creon, non patria tantum, cum in exilium me mittes.

Sequitur Creontis edictum de Polynice non sepeliendo.

Ac pro spuriis habent critici eius verba 1628, 29:

δ' ὃς πέρσων πόλιν
πατρίδα σὺν ἄλλοις ἦλθε,

cum offendantur non minus additamento σὺν ἄλλοις quam vocibus πόλιν πατρίδα inter se coniunctis. Cf. Porsoni commentarium. Hermannus, qui recepta codicis King. correctura σὺν ὅπλοις (cf. v. 511) verba retinuit, ipse quoque valde eo inclinat, ut ea tribuat fabulae actoribus. Witzschelius et Klotzius, quos nuperrime secutus est Fechtius [1]), coniungere malunt πατρίδα ἦλθε, quod tamen repugnat naturali verborum collocationi. Herwerdeni [2]) vero coniectura σὺν ἀλλόχρωσιν est paulo frigidior. — Putaverim de-

1) Zur Kritik des Euripides. G.-Pr. Freiburg i. B. 1884.
2) Ad Jonem (1875), pg. 152.

fendi posse traditam lectionem, si pro appositione intelligatur illud *πατρίδα*, quam vocem etiam magis premere voluerit poeta oppositis verbis *σὺν ἄλλοις*. Iam duplex his significaretur Polynicis crimen, quippe qui patriae bellum intulisset usus aliarum gentium auxilio, ita ut has quoque hostiles redderet Thebis. — De verborum compositione cf. locum simillimum Philoct. 919: *ξύν σοι* (te adiutore) *τὰ Τροίας πέδια πορθῆσαι μολών*.

Eos qui verba eicienda esse putant, monuerim, quam prorsus apte Creon causam gravissimi edicti sui praemittat, praesertim cum audientes non ignorent, optimo iure venisse Polynicem, ut regnum a fratre repeteret.

Germanum esse hoc Phoemissarum loco versum 1634:

ἐᾶν δ' ἄκλαυστον, ἄταφον, οἰωνοῖς βοράν

hodie vix erit qui existimet. Defenderunt versum Klotzius, Firnhaberus [1]). Quod eadem fere exstant in Soph. Ant. v. 29 sane non sufficit ad iustam movendam suspicionem, cum idem Creon haec pronuntiet in eadem re. Constat enim, haud ita difficiles fuisse veteres scriptores, ut talia transcribere vererentur. Sed decernitur res eo, quod nullo modo conveniunt haec cum reliqua verborum structura: oratio enim indirecta posita est post directam.

Unde simul cognoscitur, quomodo huc irrepserit versus. Nempe primo adscriptus deinde neglecta ratione grammatica in textum illatus est, *γλυκύν* tantum mutato in *βοράν* (cf. Antig. v. 30.). — Versu deleto Creontis edictum plane respondet Eteoclis mandatis nec non Graecorum legi eos qui patriae bellum intulerint sepeliri vetanti.

De versibus 1637, 38 cf. quae a Trautmanno [2]) disputata sunt.

Versum 1644 emendare ipse supra conatus sum, versus autem 1657—60 contra Muelleri suspicionem satis defendisse mihi videor.

---

1) „Die verdächtigungen Euripideischer verse beleuchtet und in Phoenissen u. Medea zurückgewiesen". Lpzg. 1840.

2) De Euripid. Phoeniss. vv. suspectis. G.-Pr. Hal. 1863, pg. 7.

Restat igitur, ut de carmine soluto quo concluditur tragoedia inde a v. 1710 pauca addam.

Ac summo arbitrio in tractando eo ac restituendo versati sunt Hartungius [1]), Muellerus [1]), via ac ratione Schoenius [1]), Hermannus [2]), qui tamen viri nihilominus multis locis diversissimas protulerunt sententias. Unde intelligitur, quam lubrica res sit nimio antistrophicorum indagandorum studio eiusmodi carmen in responsionem cogere, ita ut nobis cavendum sit, ne contra librorum auctoritatem plura mutemus. Non igitur inutiles augebo coniecturas. Recipi tamen possunt non nullis locis, quae una et argumenti et metricae responsionis ratione commendantur.

Atque Hermannus v. 1715 apte sic restituisse mihi videtur:

σὺ δή, σύ μοι ποδαγὸς ἀθλία [3]) *γενοῦ.*

Quae enim adiecit versus initio *σὺ δή* sententiae aeque ac metro satisfaciunt, cum vv. 1714, 15 et 1716, 17 aperte inter se respondeant. Patet vero, facillime potuisse excidere haec propter *σὺ* repetitum.

Idem Hermannus vidit, partic. *ἔχων*, quod traditur v. 1722: *ὥστ' ὄνειρον ἰσχὺν ἔχων* ab interprete additum esse. Sed annotare non debuit vir doctus; „ipse pes vocatur *ἰσχὺς ὥστ' ὄνειρος*". Rectius iam schol. (pg. 401, 12): *καὶ τὴν ἰσχὺν γὰρ εἰκελόνειρον.*

Quae deinde vv. 1723, 24 proposuit Weckleinius: *ἰὼ ἰὼ τῶν δ. φ. ἐλαυνόντων γ. μ' ἐκ π.* praeferenda sint Schoenii emendationi: *ἤλαυν' ἐλαύνων τ. γ.*, cum ex Antigonae responso vv. 1726, 27 colligi debeat, Oedipodem his non tam conquestum esse infortunium suum, quam diras imprecatum iis, qui e patria ipsum expellerent. Qua eadem de causa Schmidtio assentiri non possum, qui coniecit: *ἀλαίνειν* [4]) *τὸν γέροντα . . .*

1) LL. cc.

2) Elem. doctr. metr. pg. 761. — Epitome pg. 295. — Ed. Phoen. v. 1720 sqq.

3) De hac voce cf., quae supra annotavi pg. 13.

4) L. c. pg. 432, 33. — ceterum de varia lect. *ἐλαύνει* cf. Weckleín.

Denique nescio an apte ponatur cum Hermanno v. 1739: *ἀπαρθένευτ᾽ ἀλωμένα* ante v. 1738 *λιποῦσ᾽ ἄπειμι πατρίδος ἀποπρὸ γαίας*, quod metricae responsionis ratio minime obscura (cf. v. 1710 sqq.) postulare videtur. Sane cogitari potest, grammaticum aliquem genuinum versuum ordinem mutasse, ut vox *λιποῦσα* ad *δάκρυα* (v. 1737), quo referenda est, propius accederet. — Quae Schmidtius[1]) commendavit h. l.: *ποθεινὰ δ. περὶ φ. π. λείβουσ᾽ ἄπειμι* haud satis conveniunt cum voce *ποθεινὰ* vs. 1737.

Pars altera.

Altera huius disputationis parte tractandos mihi proposui alios fabulae nostrae locos in suspicionem vocatos. Atque eiusmodi versus selegi, ubi interpolationis suspicionem certis argumentis aut removere aut confirmare posse mihi videar. Ceterum non modo studui investigare cuiusque interpolationis causas, verum etiam locos non interpolatos quidem sed aperte corruptos ipse, quoad eius facere potui, emendare conatus sum.

Versum 480:

κακόν τι δρᾶσαι καὶ παθεῖν, ἃ γίγνεται

iam a Valckenario Dindorfio in dubium vocatum eiciendum esse censuit Nauckius. Sane satis languida sunt atque insulsa verba *ἃ γίγνεται*, sive interpretamur ea cum Geelio, Nauckio: „quae fieri solent", sive cum Kockio (Fleckeis. Annal. Suppl. VI, 173 sqq.): „quae fiunt". Nimis vero quaesitum est, quod hic proposuit: *παθεῖν παλίγκοτα*. Atque aliud restat vitium in verbis *διὰ φόνου μολὼν* (v. 479) — sic enim omnes fere libri praebent — cum *κακόν τι δρᾶσαι κ. π.* compositis, quae Kockius perperam defendit interpretatus: „si inimicitias caede dirimendas contraxissem". Nec tamen restituit locum Hermannus

---

1) L. c. pg. 433/34.

recepta varia cod. Marc. lectione φθόνου, ex qua non de praesenti rerum statu, sed de eo qui fuisset, si remansisset Thebis, diceret Polynices; ἃ γίγνεται tum vertendum est: „quae fieri solent". Tantum enim abest, ut poeta ediderit illud φθόνου, ut sic emendaverit aliquis verba genuina διὰ φόνου, versu 480 antea male interpolato. — Atque huius interpolationis causam recte attulerit Nauckius. Magnam sane habet veri speciem, suspicatum esse, quicumque fuit illius versus conditor, e participio μολών sine verbo finito posito excidisse non nulla itaque adiecisse pro ingenio suo, quibus oratio rotundior fieret. Quod vero pertinet ad ipsum illud μολών cum Dindorfio quam cum Nauckio facere malo. Etenim facillime potuit hoc corrumpi e genuina scriptura μολεῖν, quae certe concinniorem reddit orationem apte repetito a Polynice, quae summa est totius enuntiati, nempe voluntario se decessisse e patria fratrique regnum annuum concessisse, ne Oedipodis preces dirae exitum haberent. Atque addiderim, in ll. mscr. ipsis esse, quod Dindorfii sententiam confirmare possit. Libri enim Marciani AF exhibent μολῶν pro μολών; vix dubium videtur mihi, quin in hoc vitioso accentu supersit pars genuini μολεῖν.

Ut paucis iam repetam, quomodo nata sit lectio libris tradita: vox μολεῖν in μολών corrupta ansam praebuit interpolandi versus 480, qui ipse tum causa fuit, ut in non nullis codicibus διὰ φόνου mutaretur in διὰ φθόνου.

Ceterum Dindorfio [1]), qui Hirzelii [2]) vestigiis insistens alicuius momenti putat esse ad nostrum versum condemnandum, quod sublato eo septem et viginti versibus Polynicis totidem respondent ab Eteocle prolati (vv. 499—525), Kockius suo iure obiecit, vicenorum septenorum versuum congruentiam non admonitum vix quemquam percipere.

Verba versus 756:

κτανεῖν θ', ὃς ἦλθε πατρίδα πορθήσων ἐμήν.

---

1) Poet. Scen.

2) De Euripidis in componendis diverbiis artc. diss. Bonnens. 1862.

iterum exstant post v. 1374. Priore loco Eteocles consilium aperit Creonti conferendi manus cum fratre, eundemque ante certamen singulare haec verba locutum esse nuntius refert v. 1375.

V. 755 cod. A pr. m. scriptum exhibet ἑλεῖν δορί, quod cum scholiasta (φονεῦσαι διὰ τοῦ δορός) plerique recte intelligunt de occidendo Polynice; Geelius male: „telo vincere, non occidere". Molesta igitur tautologia exstat in his duobus versibus, quos insuper idem Eteocles pronuntiat, qui modo dixit: ὄνομα δ' ἑκάστου διατριβὴν πολλὴν ἔχει, | ἐχθρῶν ὑπ' αὐτοῖς τείχεσιν καθημένων (vv. 751, 52). Itaque aut ἑλεῖν δορί corruptum est aut v. 756 hoc loco non genuinus. Ac qui variam (ll. mscr. bc.) lectionem ἐλθεῖν recipere non dubitaverunt, eos fugit, hanc medicinam malo peiorem esse, cum nova existat tautologia non minus odiosa: διὰ μαχῆς ἐλθεῖν δορί. Neque seiungi possunt διὰ μαχῆς a ξυσταθέντα, quod praeterea cum διὰ μαχῆς ἐλθεῖν compositum in ξυσταθέντι esset corrigendum, nam διὰ μαχῆς ἐλθεῖν neque absolute dicitur et additum habet dativum personae, quocum pugnatur. Tantum vero abest, ut illud ἐλθεῖν Euripidi sit tribuendum, ut me moveat, ut versum sequentem pro spurio habeam. Possit quidem illatum esse propter διὰ μάχης a lectore aliquo memore, saepius haec coniungi cum verbis ἰέναι, ἐλθεῖν. Sed multo est veri similius, inventum esse ἐλθεῖν, ne una eademque res bis proferretur, sive ab eo ipso, qui versum 756 inseruit sive post ab emendatore aliquo. Invectus autem esse potest versus a fabulae actoribus, ut excusaretur Eteoclis immanitas, potuit etiam adscribi e posteriore loco (v. 1376), ubi his verbis apte precatur Eteocles, ut sibi contingat in certamine singulari fratrem contra patriam arma ferentem occidere; adscriptus autem comparandi causa deinde recipi in ipsum textum a librario nimis incurioso.

Versus 710, 11, quales ll. mscr. traduntur:

μέλλειν πέριξ πύργοισι Καδμείων πόλιν
ὅπλοις ἑλίξειν αὐτίκ' Ἀργείων στρατόν,

integri esse non possunt. Dativus πύργοισι non habet,

quo referatur, offendit odiosa quaedam verborum ubertas, offendit idem fere exitus versuum 710, 12, violata est stichomythiae lex. — Atque Valckenarii correctura *ὅπλοις θ' ἑλ.* ipsa efficit pravam sententiam[1]); Reiskii vero emendatione *πυκνοῖσι* pro *πύργοισι* scribentis recepta reliqua vitia remanent. Quare interpolatori tribuere malunt horum versuum alterum utrum Kirchhoffius, Dindorfius, Fechtius[2]), alii. Ac Dindorfius quidem versu priore expuncto in altero aut nihil mutare aut corrigere vult *Ἀργείους πόλιν*[3]), quod paene probarunt Herwerdenus[4]), Rauchensteinius[5]), hic tamen *Θήβας* ille *πύργους* quia obiecto versus carere non posset pro *ὅπλοις* voce inani ac propter *ἑλίξειν* postea addita proponentes. Aliam locum sanandi viam nuperrime iniit Fechtius, cuius ex sententia alter versus certe interpolatus est, alter sic profectus ab Euripide: *μέλλειν πέριξ πύργοισιν Ἀργείων στρατόν.* Interpellare enim Eteoclem, quo esset impetu, Creontis verba exclamando: *ἐξοιστέον τἄρ' ὅπλα Καδμείων πόλει* (v. 712), ita ut hic enuntiatum suum ad finem perducere neque posset neque deberet, sententia vero mutilaretur. A grammaticis deinde explicandi causa *ὅπλοις πόλιν ἑλίξειν* adscripta esse, quae *Καδμείων* et *αὐτίκα* additis in versum redacta postea pervenissent in textum. Sed argutiora haec quam veriora. Neque enim Eteocles Euripideus neque qui audiebant ex illis Creontis verbis tam repente interruptis colligere poterant, quid tandem molirentur hostes. Sine dubio poeta, si placuisset ei Creontis verba ita interpellari, Eteoclem pronuntiantem fecisset, quae illi proferre non licuerat. Cf. versus haud dissimiles 737, 38. — Maiorem veri speciem habent, quae Kirchhoffius[6]) coniecit *προσβαλεῖν λόχους* pro *Καδμείων πόλιν*; sic enim vox *πύργοισι* aptissime pendet a *προσβ. λοχ.*, verba *Καδμ. πόλιν* amota sunt, inter-

---

1) Cf. Weckleinii annotat. ad h. l. 2) L. c. pg. 28.
3) Poet. Scen. 4) Ad Jonem, pg. 152.
5) Fleckeis. Annal. 103. pg. 433—42.
6) Usus ll. recentiorum scholiis.

polationis origo patere videtur. — Nihilominus equidem crediderim genuina versus verba haec fuisse:

ἐπάγειν πέριξ πύργοισιν Ἀργείους στρατόν.

Enuntiati initio postquam irrepsit *μέλλειν* pro *ἐπάγειν* opus erat addere pro sententiarum conexu quae excidisse videbantur[1]). Atque ratione habita vocis *πέριξ* et versus 712 facile se obtulerunt *ὅπλοις ἑλίξειν πόλιν*, quibus deinde ut metro satisfieret adiecta sunt *Καδμείων*[2]) et *αὐτίκα*. Sic mutata germana lectione transierunt versus in nostrorum librorum archetypum. Verborum *ἐπάγειν* et *μέλλειν* scripturas non multum distare inter se nemo non videt; *Ἀργείων* vero nescio an librarii oculo ad sequentis trimetri vocem *Καδμείων* aberrante exstiterit. Quod spectat ad sententiam: iam adventare hostes ad urbem oppugnandam (*ἐπάγειν στρατόν* non modo *μέλλειν προσβαλεῖν λόχους*) versus sic restitutus etiam magis conveniat cum v. 752 *ἐχθρῶν ὑπ' αὐτοῖς τείχεσιν καθημένων;* praeterea aptius dicitur hoc loco in universum de hostibus undique urbi (*πύργοι* = *πόλις* ut infra v. 1706) appropinquantibus, cum demum versibus 737, 39 *ἕπτ' ἄνδρας . . . λόχων ἀνάσσειν ἑπτὰ προσκεῖσθαι πύλαις* propria hostium consilia commemorentur.

Sed huius versus 739:

λόχων ἀνάσσειν ἑπτὰ προσκεῖσθαι πύλαις

priorem partem e v. 742 huc illatam esse putant Kirchhoffius aliique. Matthiaeus[3]) autem et in asyndeto *ἀνάσσειν — προσκεῖσθαι* offendens et in eo, quod prior enuntiati pars eodem modo effertur quo altera *ἑπτὰ προσκ. π.*, cui summa sententiae inest, scribendum proposuit *λόχων ἀνάκτας;*

---

1) Minus probabilis videtur esse Schmidtii ratio, qui (l. c. pg. 420) suspicatur, Euripidem scripsisse sic: *μέλλειν ἐπάξειν αὐτίκ' Ἀργείων στρατόν*; quibus verbis deinde addita esse *πέριξ — ὅπλοις* interpretis manu, qui traditum inveniret *ἑλίξειν* pro *ἐπάξειν*.

2) Nimirum in prioris v. exitu posita sunt *Καδμείων πόλιν*, ne eiusdem fere clausulae versuum alter alterum exciperet.

3) Ed. Phoen. 1818.

Meinekius[1]) coniecit: λ. *ἀνάσσειν χἀπτά*[2]), Weckleinius[3]) *λοχαγετοῦντας*. — Sed nihil mutandum est. Namque toto hoc colloquio inter Eteoclem et Creontem satis stultum atque imperitum ducem se praebet Eteocles, cuius consilia inconsiderata deinceps Creon reprehendit. Hinc illud *τί δῆτα δρῶμεν* (v. 740) et quod Creon respondet v. 741 iisdem, quibus antea vv. 737, 39, ut denique intelligat Eteocles, quid sibi voluerint priora, verbis usus: *ἕπτ' ἄνδρας αὐτοῖς καὶ σὺ πρὸς πύλαις ἑλοῦ.* Nempe manipulorum duces. Tamen Eteocles v. sequenti: *λόχων ἀνάσσειν;* scilicet quod modo de Argivis dixisti. Nam sane cogitari non posset haec interrogatio, nisi eadem verba antea a Creonte prolata essent, quo loco idcirco integra retinenda sunt. (Ceterum ab eodem Creonte pronuntiari cum indignatione quadam, quae v. 743 iteratur, vocem *λόχων* fingere nobis debemus.) — Neque vero in illo asyndeto ulla est offensio, quod et totius stichomythiae rationi et Creontis breviloquentiae bene conveniat.

Versus 769:

Μενοικέα σοῦ πατρὸς αὐτεπώνυμον

a Zipperero[4]) in suspicionem vocatur. Sed neque in sollemni quodammodo Menoecei nominis pronuntiatione haerendum est, — quid enim? nonne hoc loco primum commemoratur is qui vitam profundet pro patriae salute? Cf. autem v. 841, ubi de eodem Menoeceo hoc versu iam satis notato dicitur: *Μενοικεῦ παῖ Κρέοντος* — neque video, cur scholiastae[5]) aperte nil nisi vocem *λαβόντα* explicanti Menoecei nomen afferendum fuerit. — Apparet, post ea quae antecedunt v. 757 sq.: *παιδός τε σοῦ Αἵμονος* hoc loco, ubi non de Haemone agitur, sed de altero Creontis filio eius nomen necessario esse pronuntiandum. Quis enim ipsis poetae verbis non admonitus de Menoeceo cogitaret?

1) Com. III, 198.
2) Cf. Schol.: „*λείπει ὁ καί*" (apud Dindorf. pg. 206, 3).
3) Ed. Phoen.
4) L. c. pg. 32.
5) Pg. 211, 14 ap. Dind.

Tantum vero abest, ut in his rebus auditores dubios relinquat Noster, ut certissimis verbis, quoscumque in scenam producturus est, designare soleat. — Ceterum *αὐτεπώνυμον*, quod tradit liber Marc. pr. m. scr. scholiasta [1]) autem recte explicat *τῷ αὐτῷ ὀνόματι καλούμενον*, bene se habet hic, cum non *ἐπώνυμος* tantum avi (i. e. *Μενοικίδης*) dicatur Creontis filius, sed ipso avi nomine *Μενοικεύς*. — Neque cum Valckenario, Nauckio *λαβόντα* v. 770 mutabimus in *ἄξοντα*; dicit enim Eteocles, mandaturum se esse Menoeceo, ut ad patrem veniat cum Tiresia, sc. postquam hunc vocavit, sicut paulo post accidit (v. 841), non ut cum Creonte congressus vatem arcessat.

Versus 1243:

δισσοὶ γέροντος Οἰδίπου νεανίαι

hoc loco prorsus apte positus ad verbum fere repetitur post v. 1359:

οἱ τοῦ γέροντος Οἰδίπου νεανίαι.

Cuius repetitionis causa videtur nulla esse. Treplinum [2]) enim, qui optime pergere nuntium existimat, ubi de fratribus dicere desierit, novissima, quae de eis dixerat repetentem, aperte fugit, haec esse verba alterius, non eiusdem nuntii. Nec tamen assentior Kirchhoffio, qui eiecit v. 1360 ut illatum huc ab interprete e v. 1243. Nam male deesset subiectum voci *ἐκοσμήσαντο* (v. 1359), etiamsi cum Kirchhoffio servamus v. 1362:

δισσὼ στρατηγὼ καὶ διπλὼ στρατηλάτα.

Valckenarius vero, qui hunc versum damnavit, ne subiectum tolleretur de versu 1359 relicto versu 1360, monendus est, nullam omnino causam habiturum fuisse versum 1362 interpolandi, quicumque invenisset scriptum v. 1360. — At Trautmannus [3]) et hunc et illum versum suppositos esse censet; librarios enim, cum in textu reperirent verbum *ἐκοσμήσαντο* nullo addito subiecto, ut hanc lacunam

---

1) Pg. 211, 10.
2) De repetitis apud Eurip. versibus. Schrimmae 1866.
3) De Eurip. Phoeniss. vv. suspectis. G.-Pr. Hal. 1863, pg. 15.

explerent, alium versum 1362 alium versum 1360 interposuisse. Sed cur alter versus ab altero separatus exstat? Negaverim autem, subiectum verbi *ἐκοσμήσαντο* a poeta hic esse omissum. Sane e Creontis interrogatione v. 1354 sqq. et ex ipso v. 1359 colligi posset, de quibus verba fierent. Sed orationis concinnitas et ratio grammatica postulant, ut fratres denuo designentur, cum ea quae praecedunt non de fratrum certamine sint sed de pugna ad portas turresque commissa. Recte hoc sensit Nauckius, qui suspicatur aut ante v. 1359 excidisse quaedam aut tres illos versus, qui in ll. mscr. pro exordio exstant, non esse genuinos.

Ut repetam quae disputavi: non est expungendus v 1362 ab eo, qui v. 1360 putat esse Euripideum, non est eiciendus v. 1360 ab eo, qui damnat v. 1362, ne ab eo quidem, qui retinet hunc versum. Fac vero, post v. 1359 excidisse versum genuinum, qui fratres denuo commemoraret, a diversis interpolatoribus haec lacuna expleri potuit eiusmodi versibus, quales tradunt libri, duobus, haud facile potuit expleri versibus sic, ut v. 1361 anteiret alter, alter subsequeretur, dispositis. Quibus ex omnibus apparet, multis opus esse artificiis, ut tota haec de versuum interpolatione sententia aliqua ex parte reddatur probabilis. Cum uterque versus spurius esse vix possit, neuter pro spurio habendus erit. Atque versum 1360 integrum[1]) esse putaverim, versum 1362 graviter corruptum. Neque tamen quae proposuerunt viri docti[2]) omni ex parte probari possunt neque mihi ipsi contigit, ut invenirem, quibus locus sanaretur

1) Fortasse poeta sollemnem quodammodo fratrum significationem repetens e v. 1243 audientes monere voluit continuari sequentia alterius nuntii orationi, quo facilius eorum mentibus rerum condicio antea enarrata se offerret.

2) Valcken.: *διασσὼ ξυναίμω καὶ διπλὼ στρατηλάτα*, Schoenius (Philol. X, 394): *δ. στρ. κἀδελφοὶ γ' ἀντηρέτα*, Hartung. (Ed. Phoen. pg. 245): *διασσῶν στρατῶν τι καὶ διπλῶν στρατηλατῶν*, Heimsoeth.: *δ. στρ. διπτύχοιν στρατευμάτοιν*; — Firnhab. (l. c.): *δ. στρ. καὶ διπλοῖ στρατηλάται*, Geelius: *δ. στρ. τὼ διπλὼ στρατηλάτα*, falso tamen interpretati vv. 1361—63.

Contra Valckenarium versum 486:

οἰκεῖν δὲ τὸν ἐμὸν οἶκον ἀνὰ μέρος λαβών

damnantem recte disputavit Hermannus. Hartungius[1]), Altenburgius[2]) exemplis allatis non evicerunt, sic opponi posse μὲν (v. 485) et καὶ (v. 488), nam Herc. fur. 280 μὲν et δὲ inter se respondent; neque huc cadunt Soph. Trach. 686 (ubi ad ἔχρισα μὲν referendum erit εἴσω δὲ (v. 693), non κἄθηκα (v. 691), Soph. Ai. 1, Aesch. Ag. 587, 89. — Minime vero licet coniungere v. 487 cum v. 484 interposito v. 485; etiamsi enim, quod quidem parum commode fit, Geelium secutus ἀφεῖναι componamus cum τάμαντοῦ λαβών (v. 484), quid fiet verbis τὸν ἴσον αὖ χρόνον? Praeterea quam non dilucide tum scripsisset haec Euripides! — At illi et nostrum et sequentem versum:

καὶ τῷδ' ἀφεῖναι τὸν ἴσον αὖθις αὖ χρόνον.

eicere maluerunt! quam bene iam sese excipiunt vv. 485 et 488, cum eandem rem spectent — dimittam exercitum neque agros patrios vastabo — illis versibus interpositis moleste adhuc disiuncti! Audio. Sed id ipsum, quod optime haec cohaerent inter se, gravissimum testimonium est nihilominus ea non fuisse coniuncta a poeta, cum ll. mscr. versus intermedios tradant. Nam qualem tibi finges interpolatorem, qui tam praeclarum sententiarum ordinem sustulerit? Vel inde intelligitur, vv. 486, 87 interpolatos esse non posse. Quid? quod necessarii sunt propter id quod initio totius enuntiati legitur: καὶ νῦν (v. 484). Namque aperte hoc spectat ad ea, quae de tempore praeterito antea dixit Polynices v. 477 sqq. Nonne igitur sensu cassum esset illud καὶ νῦν, nisi pronuntiaturus esset iste, quod deinde dicit vv. 486, 87? Nempe non continuam sed alternam tantum potestatem ut antea etiamnunc sibi poscit Polynices. — Quibus de causis retinendi sunt vv. 486, 87. Sed hoc concedo Valckenario, offensionis causam esse in verbis ἀνὰ μέρος λαβών, quae nescio an ab aliquo lectore explicationis causa adscripta e simili loco vv. 477, 78 ge-

1) Iph. Aulid., pg. 40. 2) L. c. pg. 16.

nuinam postea expulerint scripturam. Atque hanc restituerit Weckleinius emendatione: ἐνιαυτοῦ κύκλον[1]) pro ἀνὰ μ. λ., quae temporis significatio posci videtur eis, quae sequuntur: τὸν ἴσον αὖθις αὖ χρόνον. Jam omnia liquent. Nam, quae Valckenarium praeterea offenderunt: ἕτοιμός εἰμι οἰκεῖν καὶ ἀφεῖναι liberius dicta sunt pro οἰκήσας . . . ἀφεῖναι, fortasse ut quae particulis μὲν et δὲ coniunxerat Noster (ἀποστεῖλαι — οἰκεῖν), ea inter se responderent etiam dicendi forma.

In ea oratione, qua Jocasta flectere studet filiorum animos (vv. 528—85), Valckenarius delendum proposuit versum 567:

γενήσεται Θήβαισι, φιλότιμος δὲ σύ.

propter languida eius verba φιλότιμος δὲ σύ. Procul dubio haec insulsa sunt ac frigida pro eorum quae anteceduut sententia, cum nihil nisi hoc significent: „tu vero ambitiosus eris" (γενήσεται Θ.).[2])

Nec tamen eiciemus quae sana reddidit facillima Schoenii correctura: φιλοτίμῳ τε σοί[3]). Quam emendationem si confirmare conatus esset vir doctus totius loci sententiarum progressu explanato, vidisset quam non responderet huic altera coniectura: ὁ φιλότιμος δὲ σύ „atque ambitio tua". Nimirum sententiarum ordo postulat, ut haec fere dicat Jocasta: quandoquidem imperium anteponere videris urbis saluti (vv. 559—61; cf. vv. 504. 521 sqq.), noli

---

1) Molesta est vox λαβών, quam retinendam esse putavit Schmidtius, ita ut proponeret (l. c. pg. 416): ὅλον ἔτος λαβών, post τἀμαυτοῦ λαβών v. 484; quorsus praeterea illud.: ὅλον ἔτος?

2) Non inest his verbis quam supposuit Hermannus, cui Weckleinius assentitur, sententia neque omnino his reprehendere Jocasta voluerit Eteoclem ambitione sua, qua fortasse perdet urbem, non abstinentem.

3) Philol. X. — Geelii Hartungii emendationes eodem fere spectantes: ὀδυνηρὸς δὲ σοί, ἀνόνητος δὲ σοί longius distant a tradita scriptura. — Quod eadem voce σοί et concluditur v. noster et incipit v. subsequens, offensionem praebere non potest, cum verbis σοὶ μὲν (v. 568) Jocasta transeat quodammodo ad alteram orationis partem.

oblivisci, si superiores discedent Argivi, ita ut urbs in eorum potestatem veniat (ὄψει δαμασθὲν ἄστυ), fore ut non modo in cives gravissimae calamitates ingruant verum etiam imperii tui finis fiat: ὀδυνηρὸς ἄρ' ὁ πλοῦτος, ὃν ζ. ἔχ., γενήσεται Θήβαισι φιλοτίμῳ τε σοί. Magna cum prudentia extremis orationis verbis reposuit mater, quod maxime commoveret Eteoclem regnandi cupidissimum atque cedere nolentem, imperii scilicet iacturam imminere. Cf. etiam v. 582 sq.: δύο κακὼ σπεύδεις, τέκνον, | κείνων στέρεσθαι τῶνδέ τ' ἐν μέσῳ πεσεῖν, quibus eadem deterrere studet Polynicem.

Versus 473 sqq. sic traduntur ll. mscr.

ἐγὼ δὲ πατρὸς δωμάτων προυσκεψάμην
τοὐμόν τε καὶ τοῦδ', ἐκφυγεῖν χρῄζων ἀράς,
ἅς Οἰδίπους ἐφθέγξατ' εἰς ἡμᾶς ποτε,
ἐξῆλθον ἔξω τῆσδ' ἑκὼν αὐτὸς χθονός . . .

Ac Nauckius demonstravit haec verba sana esse non posse. Profecto inepta sunt, quae pronuntiat Polynices, se consuluisse domui patris (qui regno privatus erat a filiis), cum huius diras effugere studeret. Sed vereor, vir doctus ne nemini persuaserit, poetam scripsisse haec tantum: ἐγὼ δὲ πατρὸς ἐκφυγεῖν χρῄζων ἀρὰς ἐξῆλθον, cum postea adderentur verba δωμάτων — τοῦδε et versus 475, vel id quod minus audacter suspicatus est:

ἐγὼ δὲ πατρὸς ἐκφυγεῖν χρῄζων ἀράς
τοὐμὸν δὲ καὶ τὸ τοῦδ' ὁμῶς προυσκεψάμην.

Ex illis enim num existere potuerint, quae exhibent ll. mscr., Nauckio ipsi dubium esse videtur, hunc autem ordinem verborum germanum fuisse si credimus, cui tam stulto interpolatori tribui possunt illa: ἅς Οἰδίπους — ποτε post πατρὸς ἐκφ. χρ. ἀράς molestissime repetita? Nemini omnino in mentem venire poterat, talia interserere in re aperta et iam in prologo ab Jocasta commemorata. Licet offensio sit aliqua in voce ποτε, pro qua Hirzelius (l. c.) commendat πατήρ, versu 475 carere nullo modo possumus, quem postulent, quae praecedunt ἐκφ. χρ. ἀράς. Praeterea male disiunguntur emendatione Nauckiana, quae

artissime cohaerent: *ἐκφ. χρήζων ἀράς ἐξῆλθον*. Hac igitur ratione locus restitui non potest.

Quod autem Geelius coniecit: *δειμάτων προυσκεψάμην . .* pro *δωμάτων πρ.* „minas patris cavi quantum ad me et fratrem attinet“, improbandum est propter ea quae eodem spectant: *ἐκφ. χρήζων ἀράς*; Hilbergii[1]) vero emendatio: *ἐγὼ τὰ πατρὸς διαλαχὼν . . . τότε* longius distat a tradita scriptura, nec omnino sorte diviserunt fratres patrium regnum. Schenkelius[2]) commendat: *ἐγὼ δ' ὑπὲρ τῶν δωμάτων πρ.* in universum et sensui et rationi grammaticae sufficientia; Fechtius[3]) duobus tantum litteris mutatis: *ἐγὼ δὲ τὰ πρὸς δωμάτων πρ.*, unde sane potuit facillime fluere lectio vulgata. Sed caesura haud eleganter disiunguntur in his praepositio et nomen. Equidem proposuerim *ἐγὼ δὲ πρὸς τὰ δωμάτων πρ.* etc. „ego vero quod ad domus regiae res pertinet et mei et huiusce commodi habui rationem“. Cf. huius tragoediae vv. 547, 1202; Krueg. gr. gr. I. § 47, 6, 10; praeterea Aesch. Prom. v. 1000; Krueg. I, § 68, 39, 6. Jam schol. optim. codd. coniungit *προυσκεψάμην τοὐμόν τε καὶ τοῦδ'* explicans: *ἐγὼ δὲ προνοησάμενος τὸ ἐμὸν καὶ τὸ τούτου συμφέρον . . .* Ac versibus 469—72 exordii ratione in universum locutus aptissime indicare videtur Polynices verbis *πρὸς τὰ δωμάτων*, quam rem tractaturus sit oratione sua, cuius primae parti vv. 474—79: *ἐκφυγεῖν—φονοῦ μολεῖν* pro argumento quodammodo praemittuntur verba *προυσκεψάμην τοὐμόν τε καὶ τοῦδε*.

---

1) Wiener Studien II, Prag 1879.
2) Philol. XX.
3) L. c.

Vita auctoris.

Fridericus Guilelmus Gebauer natus sum in vico Saxoniae Borussicae, cui nomen est Molmerswende, a. d. XV. Cal. Sept. anni h. s. LVI patre Guilelmo matre Luisa e gente Wendenburg, quos praematura morte mihi ereptos esse vehementer doleo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus in progymnasio Donndorfiensi autumno anni LXX in numerum alumnorum scholae regiae Portensis sum receptus, cuius displina per quinquennium et sex menses usus sum. Maturitatis testimonio instructus postquam Tubingae, Lipsiae medicinae operam dedi inde ab autumno anni LXXXI Halis in studia philologica incumbens per septem semestria scholas frequentavi virorum doctissimorum: Dittenberger, Droysen, Haym, Hiller, Heydemann, Keil, Kirchhoff, Pott, Vaihinger, Zacher. Seminarii philologici interfui sodalis ordinarius sex per menses sub auspiciis virorum illustrissimorum: Dittenberger, Hiller, Keil. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago debitas.